



Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

DE ECCLESIASTICIS MAGISTRATIBVS.

EORVMQ. ANTIQVITATE,

Dignitate, Auctoritate, Officijs, ceterisque ad eos pertinentibus.

EX HARMONIA THEOLOGICA.

D. VICTORINI MANSI AVERSANI

Monachi Cauensis è Congregatione Casinensi,

& Episcopi Arianensis.

Libri Septem.

Cum Indice rerum, & verborum locupletissimo.





ROMAE, Apud Carolum Vulliettum. M. DC. VIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISSIMO PAVLO QVINTO PONT. MAX.



VM decennium, P. Beatiſſime, à ſuſcepta Epiſcopi dignitate, Vrbe abſuiſſem, quo curãdis Chriſti mihi creditis ouibus, & diutius, & accuratius ſtuderem. Subijt hoc anno religioſa animum cogitatio. Ecquid antequam ex hac vita abeas; non ſunt tibi Epiſcopo Principum Eccleſiæ ſanctæ, ſacræ reliquiæ inuiſendæ, ſepulchra adoranda, cetera pia Vrbis loca, ſanctorum & oſſa, & cineres venerandi? Nõ ſunt tibi Põtificis Maximi, Chriſtiq; Vicarij Pauli V. pedes exoſculãdi, qui tam ſtrenue Apoſtolicam, chriſtianamq; diſciplinã non re minus, quàm auctoritate tuetur? Accepi quaſi diuinitus datum conſilium; Poteſtas à ſanctitate veſtra facta eſt, veniendi, admiſſuſq; ad beatiſſimorum oſcula pedum, ac benigniſſime exceptus, eccleſiæ meæ ſtatum breui expoſui, meiq; aduẽtus cauſam; perhumaniter vtrũq; probaſti. Itaque manſi in Vrbe hucuſque,

summa cū animi voluptate, nō modo quod mentis meæ religioni satisfeci, sed quod solē-nibus Pontificijs cærimonijs, quod celeberrimis sacris fere omnibus interfui. Nunc quod reliquum est æstiui temporis, putaui optime collocari in ijs euulgādis, quæ de Ecclesiasticis Magistratibus meū tātum ad vsum olim collegi. Siquidem pleriq; & pij, & eruditi viri ad publicam quoque vtilitatem conferenda à me esse omnino contenderunt: quoniā tractatio est de eisdem fere integra, sacrarum litterarum in primis, sanctorum deinde auctoritatibus contexta, ordineque ad institutionē aptissimo distributa. Hāc tamē, qualiscūque ea sit, Pater Beatiss. in alio quàm in tuo nomine apparere nolui, qui in apice Ecclesiasticæ Hierarchiæ merito sedes. Accipe igitur libēter pro tua benignissima humanitate hoc leuidense munusculū, vt meæ in te singularissimæ obseruantiæ argumentum certū, quodque ego submisse admodum sapientissimo tuo examini dijudicādū trado. Bene fausteq; per multos annos Christianæ religionis præcipuum columen Vale.

Sanctitatis Vestræ


Seruus humillimus

D. Victorinus Episcopus Arian.



PIO AC BENEVOLO LECTORI,

Præfatio.



VM omnis de rebus diuinis tractatio dignissima per se sit, quoniam ad veram & honestatem, et pietatem pertinet; tum vel maxime ea, quæ de Ecclesiasticis Magistratibus instituitur: quia non partem sed vniuersam quodammodo Christianæ religionis rationem attingit. Vt enim foliorum gratus viror, florum suauis odor, fructuum iucundus sapor, ex validæ radicis vi proficiscitur; ita sane ex eorum, qui præsunt, virtutis cultu; pietatis Zelo, prudentiæ luce, subiectorum sensus pietas, religionis sanctitas, morum honestas, oritur. Omnes enim, qui alterius parent imperio, promptius exemplo mouentur, quam præcepto. Contumax (ait Seneca) est humanus animus, & in contrarium, atque arduum nitens, sequiturq; facilius, quam ducatur. Atque idcirco Charissimum

filium

Cap. 2. *filium Titum Episcopum instituens D. Paulus prascribit: In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum: in doctrina, in integritate, in grauitate. Quod si ea quoque est eorum qui prasunt, ad ceteros, qui subijciuntur, ratio, vt capitis ad membra reliqua (in summo enim à natura collocatum est, quod in eo regimen & salus totius animantis residet) qua sensuum integritas, qua motus efficacitas, qua membrorum agilitas, eodem languente, esse potest: ita magistratus officijs aut perturbatis, aut deprauatis, aut neglectis, priuatos non torpor solummodo & desidia, sed vitiorum colluuies occupat, & prosternit, vt fere nihil Christianò homine dignum, spectent & curent. Docent sacra littera:*

Ecclesiastici 10. *Qualis Rector est ciuitatis, ita & inhabitantes in ea. Itemque Rex insipiens perdet populum*

Ecclesiastica 10. *suum. Eandem calamitatem deplorat sapiens: Veh terra, cuius Rex puer est: & cuius principes manè comedunt. At contrà: Beata ciuitas, cuius Rex nobilis: & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, non ad luxuriam. Certè, quòd si hi, qui magistratus gerunt, ceterosque regunt, pietatis ac iustitia officijs student, quibus vera nobilitas continetur; luxumque omnem administri eius suo exemplo aspernantur,*

nantur,

nantur, frugalitate contenti, ciues quoque omni virtutum genere, iustis imperijs, rectis exemplis, ornant & augent, atque ad felicitatis adeptionem eisdem viam muniunt. Cum itaque tanti referat, eos qui summam rerum tenent, & administrant, veræ virtutis, rectique officij esse cultores: omnis est pro ijs instituendis suscipiendus labor, omnes ingenij nerui intendendi, vt quæ ab ipsis præstanda est sui muneris ratio, & noscant & exequantur. Quam ob rem, cum ego pro mei institutione, nonnulla, cum ex recentioribus, tum ex patribus, ac potissimum ex sacris literis ad hanc rationem collegissem, præstantissimorum virorum quibus legenda dedi, consilium atque adeò imperium sequens edere decreui. Nam & si multa ad hoc genus pertinētia, à grauissimis auctoribus & tractata, & euulgata sunt; vt plerisque forsitan rem actam agere videar; tamen si æquis animis hæc legerint; quandam profectò breuem & elegantem tractandi rationem in his libris elucere inuenient, non aspernandam. Sequor autem institutum meum, in prima huius harmoniæ parte, iampridem typis mandata: vt quæstiones ita tractem, vt conciliem de ijs auctores: concentusque suauitatem pro exiguo meo ingenio ijs controuersiis reddam. Ordior primum

ab vniuersis, vt tractandarum rerum postulat
1. Thi. 1. *ordo. Deinde ad singula aggredior, cuiusque ma*
1. Post. *gistratus, & principia, & genera, & proprieta-*
tes persequor. Tum diuisiones, definitiones, ac
cetera, quæ ad eiusdem institutionem & discipli-
nam spectant, ferme omnia trado. Duces & au-
ctores mihi potissimum Doctor Angelicus,
D. Bernardus, Sanctissimus Pater Benedictus,
sed ex multis quoque alijs & Sanctissimis &
eruditissimis viris cõcentus nostri theologici iu-
cunditas componitur. Tu, amantissime lector,
nostro hoc fruere exiguo munere, & precibus
Deum Optimum Max. redde propitium ijs om-
nibus, qui publicam ad vtilitatem conferunt
suos labores. Vale.



DE ECCLESIASTICIS MAGISTRATIBVS.

Liber Primus.

EX HARMONIA THEOLOGICA.

Auctore

D. VICTORINO MANSO AVERSANO
Monacho Cauense, Congregationis Casinensis,
& Episcopo Arianensi.

CAP. I.



INGREDIENTI mihi ad ea tractanda, quæ de Ecclesiasticis Magistratibus Sacri Theologi disserunt; explicandum in primis videtur; An quolibet in tempore in Ecclesia Magistratus sint constituti, & quo illi quidem iure sint constituti? Sunt enim qui sentiant, post primi Parentis lapsum, non antea, in Ecclesia Magistratus esse constitutos; ac iure humano, non diuino, vel naturali, eiusmodi potestatem inductam. Aiunt enim, cuiusq; Magistratus Ecclesiastici officium in eo situm esse, vt homines à vitijs, ac sceleribus abducantur; ad virtutis, honestatisq; studium deducantur. Etenim & D. Paulus id spectans docuit, iusto legem 1. Ratio. Timot. 1.

legem non esse positam; siquidem cum legis cuiusq; hæc sit vis, vt praua vetet, iubeat recta; iustus per se innocentiæ studens, constantiq; animo probitatem sequens, non indiget legis vinculis contineri: itaque lege coactiua (vt loquuntur) solutus est. Quia vero, vt lex mutus est magistratus, ita magistratus lex est loquens; idcirco, vt iustus, non potest eiusmodi lege teneri, ita nec sub alicuius magistratus potestatem subijci. Constitutus ergo homo in florentissimo innocentiæ statu, originalisq; iustitiæ ornamento munitus; quo appetitus regerentur, imperioq; rationis nunquam non parerent, nulla necesse erat cuiusquã magistratus facultate, ac

2. Ratio. vi dirigi. Adde his omnium vetustorum Theologorum sententiam; subiectionem, ac seruitutem hominibus peccato esse importatam. ita D. Basilius. ita D. Ioannes Chrysostomus, ceteriq; posteriores sensere, eo vsi sacrarum litterarum testimonio: Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit. Quare D. Gregorius, nostræ familiæ splendor 26. moral. cap. 19. ait: Cunctos natura æquales genuit: vt autem alij ad regendum committantur, non eos natura, sed culpa postposuit.

Super Genes. Gen. 9.

3. Ratio. Postremo, cum Deus Optimus Maximus singulis quibusq; hominibus, atque adeo generi hominum omni sui imaginem impressit, iustitiæq; munus excellens contulit, pariq; dignitatis gradu ad suã similitudinem extulit; cæli, terræque, & quæ eorum complexu continẽtur, dominatum tribuit, vicissim eos & subijci, & præfici, valde inconsiderate asseretur. Constituunt ergo, innocentiæ tempore nullam fuisse legitimi præsidentis potestatem, sed pari omnes iure, ac facultate præditos.

4. Ratio. Hinc Symbolici Theologi Euam non ex capite, non ex pedibus Adami, sed ex latere conflatam asserunt; propterea quod neque mulieres virorũ dominæ, neque seruæ esse debent, sed sociæ, ac pares: maris vero, ac feminæ prima est humani generis societas. Itaque serui, ac domini, omninoq; magistratus nomen ac ius tollendum esse videtur. Hic contra disputant plerique, naturaq; seruum, ac dominum constitutos esse asseuerant, nedum magistratus

ab

ab eadem profectos; principemq; huius sententiæ Aristotelem faciunt, qui 1. de Rep. libro constantissime eam tu etur, dicens: Apparet alios esse natura seruos, alios liberos, & quibus ex rebus statuti sunt ij, quorum alteri seruitus vtilitati est, alteri imperium; quorumq; alterum ius est, & decet parere, præesse alterum eo imperij genere, quod à natura datum sit. Quoniam autem natura tempore innocentiæ maximè viguit, maxime quoque serui, ac domini discrimen eo tempore extitit. *1. Polit.* *1. Ratio ex auctoritate philosophi.*

Theologi præterea virili ratione vsi, eandem sententiam complexi sunt, siquidem aiunt; superiores sunt hominibus cælites: sunt autem in eorũ genere, qui alijs natura præsunt, & imperant; sunt qui parent, & subsunt: erit quoque multo magis in hominibus, inde ab initio suæ creationis, imperij, & obedientiæ naturale discrimen. *2. Ratio ex Theolog. D. Thom. Scot. & aly.*

Etenim, si in florenti illo innocentiæ statu humanum genus mansisset, Ecclesia quoque fuisset multoque & perfectior, & præstantior. Ecclesiæ autem notio, ac vis aliquorum congregatione inter se disparium definitur, quorum alius imperandi, parendi alius officio fungatur. Itaque ex his concluditur, obtemperandi, præcipiendiq; inter homines rationem in statu quoque innocentiæ viguisse. *3. Ratio.*

Nã si triumphans Ecclesia, id est, cœtus clarissimus, & felicissimus cælestium, & beatorum animorum, cuius hic militans, cœtus scilicet hominum, qui cum immanissimis hostibus, Dæmone, Carne, ac Mundo bellum gerunt, figura est, has dissimilitudines, & distinctiones continet: hæc ipsa vt Ecclesiæ nomen, ac vim teneat, ijs carere non potest. *Confirmatio prima.*

Quia verò quale cuique à primo ortu est (ait Philosophus) talem cuiusq; naturam esse dicimus; nec dubitare quidem fas est, imperandi, parendiq. in hominum genere, & naturæ lege, & inde ab initio rationes constitisse. *Confirmatio secunda 1. Polit.*

Quibus ex omnibus conficitur, non eãdem esse de origine, ac ratione dominationis, & magistratus sententiam. Sed vt eos ad consensionem adducamus: constituendum in primis est, variam fuisse à nonnullis consensionis rationem explicatam. *Conciliatio*

Nam alij ità putãt rem perfecte componi posse, vt dicamus, magistratus, & do- *1. Opinio.*

minationis duplicem esse notionem: quod & diuersos, ac varios à natura constitutos hominum gradus, & subiectionem seruitutis, vitiorumq; correctionem significat. Quare Dominus: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Prima ratione, (aiunt) has distinctiones ante peccatum fuisse, non autem secunda. Alij vero controuersiam ad varium tractandi modum reuocant. Etenim Theologi nullam videntur harum dissimilitudinum aliam rationem habuisse, nisi ex peccato, vt multis D. Chrysostomus verbis super Genesim colligit. Philosophi autē, vt ex Arist. clarissimè patet, naturæ iure dominatum, ac magistratus vim esse constitutam asseuerant; licet nō negēt, quoddam esse seruitutis genus lege constitutum. Ait nāque: Est quidam seruus, quem leges faciunt; lex enim conuentum est quoddam, quo bello capta victorum esse dicuntur. Itaque aliud est, vt Theologum, aliud vt Philosophum, quemquam loqui. Nam D. Thom. perfectus sanè Theologus ait: Dominium, & prælatio introducta erit ex iure humano. Mihi autē, non ex varia tractandi ratione consensionem quærendam esse, videtur, sed ex re ipsa varia. Puto enim eundē esse Theologorum, & Philosophorum sensum, si recte explicetur. Nam egregie S. Doctor ex D. Augustino super Genes. docuit, duplicem esse subiectionem: vnam seruilem, qua præsidens vtitur subiecto ad suam vtilitatem, quam ex peccato ortum habuisse astruit: aliam œconomicam, siue ciuilem, qua præsidēs vtitur subiectis ad eorum vtilitatem, & bonum. & hanc fuisse etiam ante peccatum; affertq; huius rationem. Siquidem bonum ordinis defuisset in humano genere, si quidam per alios sapientiores gubernati non fuissent. Consensionis igitur vis tota in eo sita est, vt aliud esse dicamus, (vt Philosophus docet) ius seruile, aliud, ius ciuile: hoc natura constat, illud lege, ac vi. Quamobrem, quod natura eadem & ante peccatum est, & post, ciuile ius in omni naturæ nostræ statu viguit, & naturæ lege institutum est, non hominum arbitrio; vis autem, quòd ab æquo iure homines discessere, adhibita esse videatur; itaq; ex prauitate naturæ profecta est. vt in hoc quoque Philosophos

Ioann. 8. *2. Opinio.* *1. Polit.* *2. 2. q. 10. art. 10.* *3. Opinio.* *Conciliatio 1. p q.* *Ratio pro opinione.*

phos cum Theologis conſentire neceſſe ſit,ſeruitutem,ac do-
minatum in homines ex peccato inuecta. Vt enim ignorarint
Philoſophi naturæ noſtræ lapſum , eius tamen imbecillita-
tem, atque ad deteriora propenſionem optimè indagarunt.
Quare Platonicus Orator, ſimulac (ait) in lucem editi, ac ſu-
ſcepti ſumus,continuò in omni inanitate, ac prauitate verſa-
mur, vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur.
Cum ergo æquo iure homines viuere minimè ferrent,ius ſer-
uile ſibi vſurpauerunt,& ad ſe, ac ſuum ad vſum hominum
quoque operam reuocauerunt; vt homo (veteri prouerbio)
homini eſſet deus. Ad imperium igitur, ſed ciuile, quidam
nati ſunt,quidam ad ſubiectionem profectò ciuilē Ac præte-
rea,ad ſeruiendum nonnulli peccati pœna ſubiecti ſunt,non-
nulli ad imperandum Diuino permiſſu conſtituti. Quibus ita
expoſitis, longius eſt conſenſionis ratio ducenda, definitio-
nes exponendæ.Dominium(vt propriè dicamus)poteſtas eſt,
quidpiam ad ſe,ſuumq́, vſum referendi. Vt ſeruitus eſt con-
ditio, qua aliquid ad aliud,eiuſq́; vſum refertur. Vtraque bi-
partita eſt. Nam eſt dominium naturæ iure conſtitutum: &
eſt dominium, quod lege hominum inuectum eſt. Magiſtra-
tus,officium eſt eorum,qui eiuſmodi poteſtate muniti, iureq;
ſuo vtentes, præſcriptis à ratione, ſiue lege præceptionibus,
finem ſubiectis conſtitutum,pro eorum vtilitate attingere
curant. Subiectio, officium eſt eorum,qui ex magiſtratus le-
gitimi præſcriptionē,ad ſuam vtilitatem,ſuum finem attinge-
re ſtudent. Quod autem vſu,& vtilitate hæ definitiones me-
tiendæ ſint, ex Ariſt. diſcitur: docet enim alios eſſe natura *1. Polit.*
ſeruos,alios liberos,quorum alteri ſeruitus vtilitati eſt,alteri
imperium;quorumq; alterum ius eſt,& decet parere, præeſſe
alterum,eo imperij genere,quod à natura datū ſit, ob eamq́;
cauſam imperare. Quamobrem ſi diligenter, non ex decore
modò, ſed ex natura vniuerſi inſpiciamus, primo quidem
imperij genere Deus Opt. Max. omnium eſt Dominus,& ſo-
lus Dominus,quod ad ipſum vt poſtremum finem,primumq́;
efficiens omnia referenda ſunt, & ab eo pendent; ipſe verò

nuſquam.

nusquam. Hinc Psalmus: Omnia seruiunt tibi. & D. Paulus: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Materia autem prima, quoniam omni specie, & qualitate vacat, ad omnia refertur, & ex omnibus pendet, itaque semper, & omnino serua est. Quidquid autem est inter hæc extrema interiectum, & præest, & subest, variaq; comparatione & refertur, & refert, seruit, & imperat. Summus igitur ille Dominus, quoniam immensa eius potestate omnia cōtinētur, omni lege solutus est. Materia prima, quod nulla, nisi omnia patiendi, ac accipiendi facultate instructa est, omnibus subiecta est. Cetera & parent, & imperant, & alia sustinent, & aliorum ope sustinentur. Siquidem admirabili quodam vinculo alia ex alijs ita nexa, & continuata sunt, vt summi cælites saltem Deo subijciantur, & pareāt; infimi imperent, ac præsideant orbi; ac singulæ quæque eius partes dimensis inter se, ac distributis imperijs & præsint, & obediant. Itaque omnia supera, media, infima, naturæ iure, sempiterno imperio summi Regentis subiecta sunt. Cetera vt maximè virtute, naturaq; excellentia munita sunt, ita vim habere dominandi maximā possunt: quoniam quidquid superius est, id semper in alicuius boni præstantia cernitur. Sic Angelorum ordines inter se constituti sunt; sic cælorum astra distincta; sic singulæ inferioris orbis partes dispositæ, vt summa nascatur vtilitas parendo in his, quæ parent, imperando in ijs quæ imperant; nihilq; sit cōfusum, nihil turbidum, & inquietum, sed summus disparium rerum, natura, vi, efficientia, præstantia, ordo, & admirabilis consensus eluceat. Præterea quæ perfectio constare in vniuerso poterit, nisi disparibus rerum momentis coagmentatum cōtineatur, omnibusq; suis ac dissimilibus partibus sit expletum? Nam si Mundus animantis est instar (vt Platoni placet) diuersis coalitum ex membris necesse est esse, quorum sit vis, ac functio dispar, & varia: caput eminet, sensumque, ac motū ceteris subministrat; reliqua seruiunt, mouentur, & exequuntur. Eodem modo hominum genus affectum esse oportet, vt vnus in alterius sit potestate, alter sui sit iuris: hic iubeat; pareat

Psal. 118.
Ad Rom. 11.
Confirmatio.
In Timæo.

reat ille. Ita enim erit hominũ genus omnibus ſuis partibus, & numeris perfectum,& abſolutum. Etenim vt in iis,quæ ex multis conſtant partibus,vt quoddam commune,(ſiue partes continuatæ ſint, vt in vocum, & corporum concretione; ſiue ſecretæ,& diuiſæ, vt in exercitu) perſpicitur,pars, quæ imperat,& pars quæ paret, vox profectò excellens, elementumq, præſtans voces,quæ ad concentum temperantur, & elementa,quæ in concretionem ſeparantur;ita Dux,ac milites.Nam *I. Polit.* quod in animali ſit animus, qui natura imperet, & corpus quod pareat;maſculus qui præſit, femina, quæ obediat, iam pridem eruditè Ariſtoteles docuit,conſtareq; hominum perfectionem abſq; ijs diſſimilitudinibus nullo pacto poſſe. Poſtremò,quoniam officio,munere, vique efficiendi definita in natura ſunt omnia, nihilq́; debet in eadem eſſe confuſum, ac perturbatum;neceſſe eſt ſingulas quaſq; vniuerſitatis partes proprio ſuo munere,& officio fungi,diſpari quidem,& vario. Itaque vt aliud capitis, aliud manus, aliud pedis eſt munus; ita in hoc vniuerſo oportet has differentias ineſſe, certè vt terra, quæ patiatur, & pareat cælo; cælum vt agat, & imperet.Apes Rege ducuntur, & ei parent:ita grues;idemq́, de ceteris; ſic & homo, qui præſideat,ac iubeat, qui audiat,& obediat. Vt igitur & rerum vis, ac natura,& aptum decus, venuſtaq; perfectio, & certa munera in vniuerſitate rerum eluceant; opus eſt, præſertim in hominum genere,eſſe eum, qui præſit, & qui pareat. Quare D.Baſil. Politiæ proprium *In Hexam.* eſt, quod ad vnum communem finem ſingulorum actiones ſunt deſtinatæ, velut in apibus videre eſt. Quamobrem ex ijs & nihil eſſe inter eruditos hac de re diſſenſionis, luce clarius perſpicitur, & quodnam ſeruitutis genus natura reſpuat, declaratur.

CAP. II.

Quibus ex causis eueniant hæ dissimilitudines.



VONIAM autem eorum iampridem explosa sententia est, qui casu, ac temerè humana omnia cadere astruxere; ingrediamur oportet, vt ordinis ratio postulat, ad explicandum proximam causam, ob quam ad imperium nonnulli, aliqui ad obedientiam sunt nati. Plerique falso Aristotelis sensum expendentes, id ad corporis constitutionem retulere. Nam quibus natura firma corpora ac robusta ad vsus vitæ necessarios dedit, ad parendum alijs, iussaq; exequenda natos esse volunt; quibus verò erecta, & oris dignitate insignia præstitit, eos ad imperandum, consilioq; prouidendum, ab eadem factos censent. Etenim vulgo illud circumfertur: Species digna imperio. sapiens Seneca in eadem sententia ait: Naturæ est, potioribus deteriora submittere; multis gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ceteros
2. de Anima. mares vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Potest hæc ratio communiri eiusdem Aristotelis testimonio docentis: Vniuscuiusq; perfectio in eo quod vim habet, & in accommodata naturæ materia solet existere. Ac eodem teste, qui carne sunt molli, ingenio valent, qui autem duriori sunt, tardi: imperia verò, mente, & ingenio administrantur: igitur illa in præclariori corporis temperamento includuntur. Eoque pertinet, quod apud nonnullas nationes, ac potissimum apud Persas, imperia ijs, qui formæ elegantia, ac pro-
3. Polit. ceritate præstabant, demandabantur. Testatur hoc Arist. de Repu. lib. 3. cap. 4. dicens: In mandandis magistratibus vel magnitudinem sequũtur, vel pulchritudinẽ, vt in Aethiopia. Sed re vera, vt possit corporis habitus, ac formæ dignitas, virtutis, & imperij esse signum, causa eiusdem esse nullo modo potest.

poteſt. Nam Quintus Curtius de Alexandro,& Hephæſtione narrat, hūc ætate parē fuiſſe Regi, corporis habitu præſtitiſſe. Non igitur imperandi ratio ad corporis habitum,vt ad cauſam referenda eſſe videtur. Quare & Seneca poſt illa verba adiungit,inter homines pro ſummo optimus eſt. Animo itaque olim rector eligebatur: ideoq; ſumma erat felicitas gētium, in quibus non poterat potentior eſſe,niſi melior. Ad animorum ergo diſtinctionem controuerſia reuocanda eſt. Ac primum,nōnulli Platonem ſequuti,pares illos in poteſtate eſſe debere aſtruunt, in quorum animis aurum Deus effector admiſcuiſſet, vt eos,in quibus plumbum,vel ferrum,vel argētum admixtum eſſet, ſub poteſtatē ſubiectos. Quæ ſanè verba,niſi recondito ſenſu auri nomine ſapientia intelligatur,vt plumbi,voluptas,argenti,honor,ferri,militia;vt idem ſit,ac viros tantummodò ſapientia,& animi ſplendore præditos ad imperium natos, non autem voluptuarios,ambitioſos,crudeles,nihil ſignificāt. Quo enim modo animus ijs metallorum naturis coaleſcere,& cōſtare poteſt? Quare Ariſt. eos egregiè refellit de Rep. lib.2.cap.3. Non defuerunt, qui genios ſingulis quibusq; hominibus attributos, harum putant diſſimilitudinum auctores. Enim verò quidam ſunt genij poteſtate præcellentes,quidam obedientes:igitur & hi ſunt homines ad imperandum natura idonei, quibus genius ille quidem imperioſus præſidet;ij verò ad parēdum apti, quibus præeſt is,qui obtemperat. Hanc ſententiam Plato in Teage explicauiſſe videri poteſt. Sed veriùs ſenſiſſe eos arbitror, qui aſtruunt,quod vt ij,quibus ſupremæ Hierarchiæ angelicæ Angeli præſident,Seraphin,Cherubin,Throni,apti ſunt ad cōtemplandum:ſic quibus mediæ,Dominationes,Principatus,& Poteſtates,idonei ſunt ad imperandum: quibus infimæ virtutes, Archangeli, Angeli nati ſunt ad parendum. Cum enim,vt ſuperius explicatum eſt,Angeli Dei beneficentia,non ſingulorū tantum hominum ſalutem curent, ſed vniuerſo orbi,ſingulisq; eius præcipuis partibus præſideant,auxilioq; ſint,vt finem ſuū conſequantur, id negotij potiſſimum ſuſcipiunt, vt iuſtè præcipiant alij, alii rectè pareant;quoniam in hoc Reip.cuiuſq; ra-

Lib. 2. Polit.

tio integra,& incolumis continetur. Et quoniã tam præceptio, quam ſubiectio veri,rectiq; cognitione dirigitur,meritò & cõtemplandi, & præcipiendi tripartitum munus cæleſtibus animis pro rata parte attributum fuit,qui ad eadem obeunda munera homines ſuæ fidei creditos dirigant,& moderentur. Affines hæ duæ ſententiæ eſſe vidẽtur:quoniam ſi recta(vt par eſt) interpretatio adhibeatur,eoſdem genios,& Angelos ad hominum cuſtodiam deputatos eſſe, aſſerendum eſt. Eorum modo ſententiam audiamus,qui ad cælorum orbes, eorumq; ſitus,& ſigna pleraq; referunt. Aſtrologi appellantur, qui dominium, ac ſeruitutem ex imperantibus,& obedientibus ſignis,ſiue locis duci aſtruunt, cauſasq; inclinantes eadem ſigna arbitrantur. Sentiunt autem obedientia inter ſe,& imperantia ſigna ea eſſe,quæ æquali ſpatio diſtant,ſeu ab vno,ſeu ab vtroq;punctorum æquinoctialium,eo quod æquali ſpatio temporis exoriantur,eoſdemque deſcribant parallelos. Ceterum,quæ in æſtiua ſphæræ parte ſunt,imperantia,quæ in hiberna, obedientia nominantur, quia Sol cum in illis moratur,dies longiores, cum verò in iſtis, noctes efficit longiores, quod vt clarius pateat, ſic deſcribuntur.

Imperantia ſiue Dominantia.

Aries.	Taurus.	Gemini.	Cancer.	Leo.	Virgo.
♈	♉	♊	♋	♌	♍
10.20.30.	10.20.30	10.20.30.	10.20.30.	10.20.30.	10.20.30.
♎	♏	♐	♑	♒	♓
30.20.10.	30.20.10.	30.20.10.	30.20.10.	30.20.10.	30.20.10.
Piſcis.	Aquarius.	Capricor.	Sagittar.	Scorpio.	Libra.

Obedientia, ſiue Seruientia.

Sed hæc ipſi viderint. Non deſunt autem, qui huiuſce rei cauſam in ſingulorum animorum differentiam reijciant. quibus inter ſe illi quidem diſtinguuntur. Nam &ſi quod ad naturam

ram attinet, consentiant omnes, animorum vim parem esse; aliquod tamen subesse singulorum animorum inter se discrimen affirmant, vtcumque quale sit vix declarãt. Etenim Arist. quoque idem præclarissimè astruit, dicens: Quod si in corporibus tantæ sunt dissimilitudines, maiori quadam ratione in animis existunt hæ ipsæ varietates: sed non est æquè facile animi, ac corporis pulchritudinem cernere. Animos igitur eorum qui imperant, tales esse dicendum est, vt digni sint imperio; eorum verò, qui parent, eiusmodi esse, vt debeant obtemperare. Atque hæc ratio propius ad veritatem accedere videtur. Nihil enim ociosum, nihil vsu, ac suo fine vacans Deus naturæ auctor efficit: neque cuiusquã est actio, nisi cuius est vis ad eandem; igitur quem ad imperium erigi videmus, putandũ est eum ad imperandum innatam suo in animo vim habere; vt contra; eum, qui paret, insitam suam, ac propriam in animo vim ad parendum continere, asserendum est: eoque spectare id, quod Arist. concludendo docet: At illud quidem perspicuũ est, esse quosdam à natura liberos generatos, quosdam seruos, quibus & vtilis est, & iusta seruitus. Sed enim, vt singulæ quæque hæ sententiæ aliquid veritatis attingant, vt nullo penè negotio reuocari ad consensionem queant, sic causam harum differentiarum per se minimè continent. Nam cum altissimis fixa radicibus illa quidem ratio constet, id esse ceterorũ causam, quòd in eo genere excellit, vt ignis se habet ad cetera calida; ita asserendũ est in hac, de qua, agimus imperandi, ac parendi controuersia. Quia verò Deus summum omnium obtinet principatum, eum cuiusque imperij auctorem, & causam esse statuendum est. Quare per sacras litteras testatur: Per me Reges regnant, Per me Principes imperant. Ac D. Paul. Omnis potestas à Deo est. & Sapientiæ 6. A Domino potestas nobis, & ab Altissimo virtus. & Ecclesiastes 17. In vnamquamque gentem præposuit rectorem. Vt enim nihil in rerum natura, nisi eius iussu, vel permissu fieri necesse est; ita maximè eius vigere imperium arbitrandum est in eorum, qui imperare, vel parere debeant, delectu. Si enim hominis est rectè à natura informati,

Lib. 1. Polit. — *1. Polit.* — *2. Metaph.* — *Prou. 8.* — *Rom. 13.* — *Sapient. 6.* — *Ecclef. 17.*

persuasum habere, nihil in humanis rebus, nisi summi moderatoris Dei numine disponi, hic sensus magnopere vigeat, opus est, in constituendis magistratibus. Vt enim quidque maximè in natura excellit, ita maxime Dei prouidentia disponitur; nihil est autem, quod maius habeat in rerum natura momentum, quam magistratus: igitur summæ est Deo curæ ius imperandi, ac parendi. Quamobrē & Cicero ait: Nihil est illi principi Deo, qui hunc mūdum regit omnem, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, cœtusq; hominum iure consociati, quæ ciuitates appellantur, harum rectores, & conseruatores. Dei igitur summi imperio ac iussu singulis quibusque, vel imperandi, vel parendi præscriptio constituta est. Quare Daniel Nabuchodonosori ait: Tu Rex Regum es, & Deus Cœli Regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi. & alibi: Sedere facit pauperes pro eis. Sit igitur homo corporis quātauis valetudine firmus, quacumque oris dignitate venustus, animo qualibet sapientiæ eruditione prædito, genij præclara ope munito, præcellentium Angelorum virtute firmato, certe regēdi munus à Deo, præterea nullo: eidem obuenire credendum est, qui summa imperia delet, obscuratq; fortis homines ad supremum dignitatis gradum extollit; Reges de solio detrudit, & quos vult in regia dignitate constituit. Aiunt enim sacræ litteræ: de carcere, catenisq; interdum quis egreditur ad regnū, & alius natus in regno inopia consumitur. Sed vt hæc vera sit, ac prima dominatus, seruitutisq; causa; proximæ, atque singulæ nihil obstat, quominus illæ quidem sint. Corporis quidem egregia constitutio, orisq; dignitas præclaram regnādi, imperandiq; indolem præsefert: vt firmitas, ac robur hispidum, & horridum seruiendi, parendiq; indicium præbet. Cum enim imperium mente, & consilio administretur, viribus verò, ac robore seruitus exerceatur, fitq; in corporibus, quod mentem acuat, quod obtūdat (nam docet Arist. eos tardi esse ingenij, quorum prædura est caro, quorum autem mollis est, ingeniosi) hæc corporis constitutio certè indicium erit, non autē causa. Sapientiæ quoque munus alicui concessum, argumentū

De somn. Scipionis.

Cap. 2.

Eccles. 10.

2. de Anima.

eſt imperandi vim eidem elargitam eſſe, vt ſtoliditas obtemperandi: genij verò, ſiue Angeli attributi quorum ſit vis, ad imperium dirigens, vel ad ſeruitium, cauſa proxima eſſe videatur. Etenim Deus ſingulis hominum præpoſuit Angelos, quorum ope, & diligentia ſua quæque officia exequantur; præcipua autem hominum officia eſſe videntur rectè præcipere, parere fideliter. Quamobrem nulla inter diſputantes controuerſia reliqua eſt, ſed ad veritatem omnes pro rata portione accedunt. Nam Aſtrologi aut vanam afferunt cauſam, aut longè remotam. modò diuiſionem tractemus.

CAP. III.

Quotuplex eſt poteſtas.



QVONIAM, etſi de Eccleſiæ tantùm magiſtratibus ratio nobis eſt ineunda, tamen hoc præſtare commodè minime poſſumus, niſi apparatus quidam ante conſtituantur, vt quo decet ordine, quæ tractanda propoſuimus, tractemus: idcò poteſtatis definitio, & diuiſio tradenda prius eſt, deinde ad ea explicanda aggrediendum eſt, quæ noſtro ſunt inſtituto apriora. Poteſtas, quæ Græce δύναμις dicitur, vis eſt, ſiue facultas ad aliquid, vel agendum, vel patiendum; ita enim apud viros eruditos vſurpatur, vt tàm vis agens, quàm patiens eo vocabulo ſignificetur. Hæc & remota, & proxima eſſe poteſt. Proxima dicitur, quæ vnica, vel modica vi, in exitum, ſiue ad actum deducitur. Remota, quæ pluribus, vel valentioribus indiget, vt exitum accipiat. Sed vt rem noſtram agamus, poteſtas pro auctoritate ſumitur, quæ Græcè δύναμις vocatur, atque vt Iureconſ. Paulus in l. poteſtatis. ff. de verb. ſign. in perſona magiſtratuum ſignificat imperium, liberorum quidem patriam poteſtatem, ſeruorum dominiū. hæc autē duplex eſt, aut Eccleſiaſtica, aut laica; idq́, ex omni cauſæ genere comprobari poteſt. Nam poteſtas laica ſpectat Reip. ſtatum probitate morali, & pace tranquilla

quilla florentem. Ecclesiastica verò eundem gratia diuina, & gloria sempiterna nitentem: illa versatur in humanis agendis, hæc in diuinis colendis; illa præscripto rationis, hæc diuino numine dirigitur. Conueniunt, vtraque quod à Deo instituta, ac lata fuit, nec (vt plerīq; asserunt) eo differunt, quod hæc à Deo iam facto homine, illa ab eodem, nondum homine facto constituta sit; cum nullum fuerit tempus, in quo Ecclesia non fuerit, atque adeò spiritualis, & Ecclesiastica potestas. Itaque discrimen illud quidem non constat, nisi Ecclesiasticæ nomine Euangelium intelligere velint: ita enim nihil à nobis illi quidem dissentirent. At quoniã de Ecclesiastica præsertim rationem habendam esse duximus, huius tantum definitio est afferenda. Est autem (vt breui rem complectar) potestas à Deo proximè, & diuinè instituta, ad homines diuinis legibus à prauitate auocandos, & ad vitam diuinam ducendam dirigendos, & quatenus opus est, ad ciuilem. Hæc suis esse numeris absoluta definitio censetur, quod ea omnia contineat, quibus definitionis leges coarctantur. Nam generis est loco illud nomen, Potestas, cetera, differentiæ sunt. Adiunctum est (à Deo proximè, & diuinè) vt secludatur illa, quæ hominum tantum instituto nititur, vel si à Deo, non per se, sed per alios, & naturali instinctu, non diuino constituta est; ac prætereà eò referri debet, vt homines Dei vitam imitentur, ac eo exerceatur modo, ac forma, qua diuinæ leges præscribunt. Postremò, vt ciuilis quoque vitæ moderatio eidem commissa esse videatur, non quidem per se, aut suo quodam iure, sed vt diuinam vel impedit, vel imminuit, vel euertit. Etenim operæpretium est, humana diuinis deseruire, & ad finem vltimum cetera referri modo iam exposito. Hæc verò potestas declaratur apud Apostolum his verbis: Arma militiæ nostræ, id est, potestas, ac facultas, non carnalia sunt, hoc est ad temporalia tãtum consequenda, sed potentia Deo, scilicet, quod valida est diuina constitutione, non humana, ad destructionem munitionum; consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnẽ

2. ad Cor. 10.

in-

intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam,&c. Quodque de potestate loqueretur adiungit, dicēs: Potestas, quam dedit nobis Deus in ædificationem, nō in destructionem. ædificatio autem ista quæ sit, explicuit aliàs ea sententia: Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Doctores, ac Pastores ad consummationē sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quamobrem satis liquido constat, eo potestatem hominibus alios regendi concessam esse à Deo, vt perfectam gratiam, & æternam gloriā consequantur; hoc autem est, vitam imitari diuinam. Quare D. Basilius: Quæ quidem, cum inde ab initio fuerint hominum generi vniuerso proposita, omnes eius conatus, studia, actiones eo referri vt in postremum, & communem finem debeant, certè, vt vitam imitentur diuinam: patet eandem fuisse potestatem, quæ homines in eū dirigat, & moderetur. Itaque eiusmodi Ecclesiasticæ potestatis definitio omnino probanda est. Diuisio autem in alio capite explicanda. *Eph. 4.*

CAP. IV.

Quotuplex sit potestas Ecclesiastica.



ARIA fieri potest potestatis Ecclesiæ diuisio, quoniam varia eiusdem haberi ratio potest; nam si tempus, quo illa constituta fuit, consideretur, triplex est, vna naturalis legis tempore, alia legis scriptæ, tertia Euangelicæ. Et fine quidem hæ ipsæ inter se minimè differunt, quoniam omnes ad honestatis, ac pacis studium, pietatisq; & religionis erga Deū rectum cultum dirigunt, & instituunt. Administrandi autem ratione, & personis inter se longe differunt. Siquidem quo tēpore naturæ tantum lege ducebantur homines, potestatem im-

imperij, primogeniti exercebant, ijque, & moribus hominum instituẽdis, & diuinis cultibus administrãdis præerant. Etenim & domo primum, ac deinde vicinia, & postremò ciuitate coalita, apud omnes ferè, ne dum apud electam à Deo gentem, ius imperandi ei, qui ætate anteibat, demandabatur. Itaque ijdem
1. Polit. erant & Reges, & sacerdotes. Quare Arist. Omnis familia vni,
3. Polit. 11 qui ætate anteit, paret. Ac præclarius lib. de Rep. 3. cap. 11. Imperator erat Rex, & Iudex, rerumq; diuinarum ei commissa cura erat. Ius igitur erat ratum eo tempore, vt primogeniti imperium obtinerent; idq; non modo ex vetustioribus, ac recentioribus Doctoribus, sed ex sacris habetur litteris. Nam Esau
Gen. 25. primogenita sua Iacobo vendidisse in eis narratur; & Melchisedech Regem, & sacerdotem fuisse, dicitur. Hinc D. Doctor 1. 2. q. 103. & 2. 2. q. 87. Omnes primogeniti erant sacerdotes in veteri Testamento, & habebant duplicem portionem in hereditate paterna. Idq; moris, siue iuris vsq; ad Moysis tempora viguisse certum est. At deinceps sacerdotij dignitatem, admi-
Leuit. 1. nistrationemque, Leuiticæ tantum Tribui demandatam fuisse,
& 2. legitur. Hanc apud Gallos Druidæ, apud Indos Brachamanes, Gymnosophistæque, apud Persas Magi, apud Græcos Philosophi, apud Romanos flamines, dignitatem exercebant. Quo circa alij tẽporis ratione habita, rerũ sacrarum præfecti naturæ lege facti sunt; alij lege scripta; alij Euangelij iure. Primi, omnes fuere primogeniti; alij, qui erant Leuitici generis; tertij, qui diuina, & canonica institutione ad id sũt muneris adsciti. Ra-
Gen. 4. tio quoque varia est, nam proculdubio ex terræ fructibus primum diuini cultus facta protestatio est, & ex animantium genere; quod ex Caini, & Abelis sacrificio satis perspectum est, ipso summo Deo faciendi sacra rationem, ac ritum interius hominibus præscribente. Deinde leges de sacris variæ, & quasi
Leu. 13. multiformes, Deo auctore conscriptæ à Moyse fuere. Postre-
Lucæ 22. mò sanctissimus, & religiosissimus cultus, ac ritus à Christo Domino institutus est, omnibus & naturæ institutis, & legis scripta monumentis longè augustissimus. Quoniam autem de ijs agitur magistratibus, qui & Ecclesiastici sunt, & Euangelici:

eorum

eorum est modo, ceteris prætermissis, partitio afferenda, ab ipsorum varia potestate initiũ faciendo. Potestas Ecclesiæ Euãgelica alia auctoritatis est, qua Deus tantum præditus est; alia excellentiæ, quæ Christi Domini propria est; alia ministra, quæ legitimis ministris tribuitur: & hæc quidem vna est ordinis, altera iurisdictionis, vtraque metaphoræ, siue translationis iure clauis aptè appellatur: siquidem nõ cuilibet fas est alterutrius sibi vsum vendicare, & auctoritatem, sed ei tãtũ, qui diuina ad id institutione addicitur, & cõsecratur: Clauis enim vis, & vsus est, aditum & inhibere, & dare. Nũc diuisiones persequamur. Potestas ordinis vnica est, neque diuisionem naturæ suæ patitur, sed multis fundatur gradibus, qui magnitudine inter se, non essentia differunt. Iurisdictionis verò, alia potestatis est, alia scientiæ; & alia in foro animi, & interiori, alia in foro fori, & exteriori; vel, quod idem est, alia volũtaria est, alia quidem contentiosa. Sunt, qui ijs annumerant primum potestatẽ ministros constituendi, beneficia distribuendi, dignitates conferendi; deinde potestatem, doctrinæ Euangelicæ diuulgandi; tertio potestatem, victum, ac cultum à subditis accipiendi: sed enim vt distinctè, ac dilucide ista doceantur, ità ineptè, vt diuersa ab ijs numerata esse videantur. Nam hæc ipsa tria auctoritatem iurisdictionis, & scientiæ per se attingunt, aut contentiosi fori, aut voluntarij. Itaque non video cur dissentire inter se Auctores possint. modo singula quæque membra definitione explicemus. *Conciliatio.*

CAP. V.

Definitio Potestatum.



VIVSQVE potestatis definitio eo est modo tradenda, vt communis illa quidem suis, ac proprijs differentijs ad vnamquamq; aptetur. Nam etsi non sit omnibus commune genus, quod pari de ipsis ratione dicatur, tamen ni-

hil obstat, quominus proportione quadam vna eademque singulis accommodetur. Etenim potestas, quæ auctoritatis appellata est, quaque Deus tantum præditus est, facultas est, etiam à Deo, & proxime, & diuinè instituta. Quid enim tam à Deo est, & proxime, & diuine, quam quod proprium est Dei? Et quis adeo potest homines à malis abducere, ducere ad bona, quam is, qui dicit per vatem: Ego sum qui deleo iniquitates tuas? & in Euangelio: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ac Apostolus. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, filij autem, vt parentem Deum imitantur. Quare Apostolus: Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi: Deus autem est (Ioanne teste) qui dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, quod quidem, quia per sese præstat, nullis alicuius opibus, aut meritis adductus, nullis sacramentis, aut officijs incitatus, nullis signis, aut precibus inductus, idcirco auctoritate sua id, & posse, & facere dicitur. Christus autem Dominus, si vt homo consideretur, administer est vtique huius facultatis; quoniam (ait Apostolus) Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. & ipsum proposuit Deus propitiatorem per sanguinem suum. Excellentissimus tamen, quippe, qui quatuor gradibus ceteros omnes singulariter antecellit. Nam primum ipse meruit, vt hæc potestas hominibus impertiatur. Deinde ipse quoque eam eisdem sua institutione contulit, præterea nullus. Tertio quod ex eius institutione potestas eiusmodi vim habet, & rata est. Postremò quoniam eiusdem potestatis effectum nullo adhibito sacramento cõferre potuit. Ita enim vt à postremo ordiamur, in Euangelio legitur: Fili dimittuntur tibi peccata tua. Itemque: vade, noli amplius peccare, sexcentaque alia in eãdem reperies sententiam. De proximo habes apud Paulũ: Quẽ proposuit Deus propitiatorem per sanguinem ipsius. Itemque sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Ac demum ex latere eius exiuit sanguis, & aqua; nimirum quod sacramentorum vis ex merito passionis eius dimanat; neque est aliud nomen sub cælo, in quo oportet

Math. 2. Rom. 8. Ephes. 5. Ioann. 1. 1. Ad Corint. 5. ad Rom. 3. Math. 9. Luc. 17. ad Rom. 3. ad Hebr. 3.

saluos fieri. Quod autem ipse eam contulerit potestatem, quin & instituerit, ita in sacris litteris perspectum est, vt perspectissimum. Accipite (ait Apostolus) spiritum &c. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & quodcumque ligaueris &c. Ac potissimum cum in cœna edixerit: Hoc facite in meam commemorationem &c. Itaque Diuus Paulus ait: Ipse dedit quosdam Apostolos &c. Denique vnguentum non descendit in barbam, & in oram vestimenti eius, nisi à capite Christo; ipsũ enim Deus dedit caput super omnẽ ecclesiã, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius. D. quoque Bernardus præclare ait: Dedit Christus, accepit Petrus, non tamen solus, nam & si voluerit introducet, aliumque excludet quem fortè voluerit, in scientia, & potestate sibi data desuper: & hæ claues, quæ est potestas aperiendi, & claudendi, atque inter claudendos, & admittendos discretio. Potestas ergo excellentiæ est facultas à Deo proximè, ac diuine Christo, vt homini data qui iure suę prærogatiuæ, nullis adhibitis sacramentis, homines sceleribus soluere, ad vitamque diuinam dirigere, & ad ciuilem moderari potest. Potestas demũ ministerij facultas est à Deo, & Christo Domino, proxime, ac diuine legitimis institutis ministris ecclesiæ collata, vt præscripta vsi forma, ac ritibus, sacramenta cõficere, ac ordinare, hominesque peccatorum nexu liberare, eisdẽ gratiã conferre, ad vitam ducendã diuinã, vindicandumque quidquid eidem obstat, possunt. Ac tandem, quoniam altera ordinis est, & altera iurisdictionis, vtrique definitio accõmodanda est ea differentia adiuncta, quæ etsi omnibus probetur Theologis, altius tamẽ ad eius declarationem nos aggrediamur, oportet. Corpus Christi duplex esse dignoscitur, alterum verum, alterum mysticum; sed verum dicitur, non quod alterum ac mysticum falsum sit, at quoniam naturæ proprietate primum constat, alterum recondita ratione, instar primi coalescit. Etenim sanctissima illa Christi moles, membris humanis, ac varijs constans, verum Christi appellatur corpus; eo perti-

Act. 2.
Matth. 16.
Luc. 22.
Eph. 4.
Psal. 132.
Eph. 4.
De consideratione.

Esai. 50. net id vatis: Corpus meum dedi percutientibus, & sexcenta alia in eandem sententiam habes. Mysticum vero dicitur fidelium congregatio, cuius est Christus caput. Quare Apostolus: 1. Cor. 12. Eph. 5. Singuli sumus alter alterius membra in Christo. Itemque: Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo. Putant igitur nonnulli eo inter se ordinis potestatem, & iurisdictionis differre, quod ea, quæ ordinis est, in vero Christi versetur corpore; quæ autem iurisdictionis, mystico: sed vt hæc non inepte asserunt, ita non perfecte: ordinis namque potestas in condonandi peccata facultate cernitur, & tamen ea mysticum, non verum corpus attingit. Quamobrem aliam afferamus rationem necesse est, parum ab ista diffidentem. Ordinis potestas & ad verum, & ad mysticũ corpus refertur; Matth. 16. sacerdotibus enim dũtaxat dictũ est: Hoc facite in meã cõmemorationem; Marc. 14. Luc. 22. quoad verum, Accipite spiritum sanctum. & quæcumque ligaueritis &c. quoad mysticum. Iurisdictionis autem potestas non in vero corpore, sed in mystico versatur, ac pro rata parte, etiam non sacerdotibus committi potest. Si ergo sentiant illi quidem ordinis potestatem in vtroque corpore, sed in vero potissimum versari; iurisdictionis autem mysticũ dumtaxat curare, non verum, recte quidem id astruunt, & nobiscum, & inter se cõsentiunt. Itaque nihil in hoc dissensionis relinquitur. Ordinis ergo potestas, facultas est, &c. verũ Christi corpus cõsecrandi, fidelesque à peccatis soluendi, ac cetera sacramenta eisdem administrandi. Iurisdictionis autem est facultas &c. corpus Christi mysticum ordinandi, regendique ac dijudicandi. Sed accuratius de ijs aliàs discutietur. Nunc ista omnia sint posita, & ad singula quæque descendamus.

Liber Secundus.

CAP. I.

An Sacerdos distinctus sit ab Episcopo.



VO esse, in quibus Euangelicam potestatem versari oporteat, diximus: verum, ac mysticum Christi corpus, & illa quidem, quæ ordinis est, magna ex parte in eo versatur, vt verũ corpus conficiat, & cetera sacramenta administret: altera, vt mysticum curet, & regat. Itaque duo quoque esse ecclesiasticorum ministrorum munera, ac functiones necesse est, vnũ quod in sanctissimæ Eucharistiæ consecratione, & administratione cernitur; alterum quod in Christiani populi gubernatione versatur, vt eundem ad susceptionem potissimum tanti sacramenti idoneum reddat, & ad æternam cælestemque beatitudinem dirigat. Cum eo debeat omnis Christianæ potestatis vis referri, vt similes Deo efficiantur homines, vitamque diuinam imitentur, teste Apostolo: Nostra cõuersatio in cælis est. ac D. Basilio: Christianissimum est, similitudinem Dei induere, quo ad eius fieri potest: nulla autem superest hominibus ratio eiusdẽ similitudinis induendæ (de lege loquor) præterquam si sacramentorum perceptione diuina gratia potiantur: idcircò ijs, quibus diuinarum rerum tractatio credita est, hæc duo potissimum spectare necesse est, sacramentorum scilicet, ac præcipue sanctissimæ Eucharistiæ consecrationem, ac ritus, fideliũ ad eam dignè accipiendam, idoneam instructionem, & apparatus, deq; ijs loquutum esse Petrum asseri potest. Magna, & pretiosa dona nobis donauit, vt diuinæ naturæ consortes efficiamur. Et quidem licet duæ hæ sint sanctissimæ functiones, tamẽ complures sunt, ac diuersi ministrorum ordines, qui ad eas præparandas ex officio distributi sunt; sacerdos tãtum explet, cuius

Ad Philip.

2. *c.* 1.

cuius proprium est munus, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum conficiendo, se interpretem, ac mediatorem Dei, & hominum præstare; populumq; suæ fidei commissum ad eam accipiendam proxime disponere, & moderari. Quiq; idcirco sacerdotis nomine primum insignitur, tùm quia Deo consecratus est, tùm quod ad eum pertinet sacramenta administrare, sacrasq; res, ac diuinas tractare, & administrare. Vnde D. Isidor. Sacerdos dicitur quasi sacra dans. Deinde Presbyteri, quod Græcè seniorem significat; idq; in eos cadit, non solum propter ætatis maturitatem, quæ eidem maximè necessaria est; sed multo magis propter morum grauitatem, doctrinam, &
Sap. prudentiam. Etenim & in sacris litteris dicitur: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus, &c. & in Philosopho. Puer sit ætate,
1. Eth. an ne moribus puero par, & similis, nihil interest; non enim est vitium in tempore, sed in moribus. Eosdem ergo sacerdotis, & presbyteri nomine Apostoli appellarunt. Quid autem sit sacerdos, ex ijs colligi potest. Vir est fidelis legitima manuum impositione, sollemnibusq; sanctæ Ecclesiæ cerimonijs, & ritibus institutus, & consecratus, cultuiq; veri Dei firmiter deputatus. An verò hic ordo vnus sit, nec ne, disputant inter se Doctores, dissentireq; videntur. Nam astruere pleriq; præferũt, sacerdotali dignitate nullam in Ecclesia esse maiorẽ; eũdemq; Episcopum, & sacerdotem esse; tùm quia D. Apostolus passim,
Ad Tit. Ad Timot. & sacerdotes, & Episcopos presbyteros appellat, tùm quod nõ nominis tantum societate continentur, sed officio, & actione. Vnica enim, ac singularis functio in Ecclesia est, ad quam & ceteræ referuntur omnes, consecratio, & administratio sacrosanctæ Eucharistiæ, qua diuinitatis potissimum communione fruimur: officio autem, ac munere, viq; efficiendi omnia definita sunt; ita cũ in eodẽ genere maneant, iam non sunt diuersa, sed eadem dicenda. Eò pertinet, quod sacerdos cum tàm excellens sacramentũ tractat, sacrificiumq; offert, Christi figurã gerit: quis autẽ Christo maior esse potest? Figura verò, ac figuratũ mutua inter se ratione respondẽt; idem igitur sacerdos, &
Epi-

Epiſcopus. Quid quod neque veteri in lege vllũ fuit ſacerdotis atque Pontificis diſcrimen? Aaron enim ſacerdos ceteris omnibus eminebat. Poſtremò D. Hieronymus huius diſputationis tenebris lucem attuliſſe maximam viſus eſt, qui grauiter quidem aſtruit idẽ fuiſſe olim ſacerdotẽ, & Epiſcopũ, quique preſbyteri nomine nuncupabatur; diſſidij verò tollẽdi gratia à Patribus conſtitutum eſſe, vt vnus ſacerdotũ multitudini præficeretur, ad quem ſumma rerũ deferretur, Epiſcopusq; appellaretur, ceterorũ moderator, & Iudex. hic ſunt tres errores vitãdi, vna diſſenſio tollẽda. Primus Arrij, ac Lutheranorũ, nõ modò idem eſſe Epiſcopum, ac Sacerdotem aſſerentium, ſed omnes fideles nullo delectu, nec etiam ſexus, eſſe ſacerdotes; quos copiosè ſanè, & eruditè ſacri, & catholici Theologi refutarũt, nos ad conſenſionẽ (ſi ſapiũt) vocamus. Quoniã duplex ſacerdotiũ in ſacris litteris deſcribitur, alterum internũ, alterum externũ; Quod igitur ad internum ſacerdotiũ attinet; omnes fideles, ſacerdotes appellantur, præcipuè verò iuſti, qui Dei ſpiritu præditi, & diuinæ gratiæ munere IeſuChriſti ſummi ſacerdotis viua membra effecti ſunt. Hi enim fide, charitatis igne ſuccenſa, in altari mentis ſuæ ſpirituales Deo hoſtias immolãt; eiuſmodi ſunt probæ omnes, & honeſtæ actiones, quas ad Dei gloriã referunt. Quarè in Apocalyp. legitur: Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes; ad eamq; ſententiam Apoſtolorũ princeps ait: Ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Hinc D. Apoſtolus nos hortatur, vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiã viuentẽ ſanctã, Deo placentẽ, rationabile obſequiũ noſtrum. Propheta autẽ regius multò ante dixit: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. cor contritũ, &c. Externũ verò ſacerdotium minimè in vniuerſam fidelium multitudinẽ, ſed in homines certos conuenit, qui legitima manuum impoſitione, ſollemnibus ſanctæ Eccleſiæ cerimonijs, & ritibus inſtituti, & Deo conſecrati, ad aliquod proprium, ſacrumq; miniſterium deſcribuntur. Hoc igitur poſito, aut error eliſus, aut ſi annuunt, conſentio facta eſt.

Apoc. 1.

1. Pet. 2.

Pſal. 50.

Alius

Alius verò error est eorum, qui nihil inter Episcopum, & sacerdotem simplicem interesse putant, qualis Arrius, ac post eũ Lutherus, & ceteri, qui ab illo fuere humani generis pestes. Qui cum assequi Episcopi dignitatem nequirent, ambitus vitio deprauati, sacerdotem Episcopo æquarunt, ac perfidis maledictis rem exagitarunt, appellantes Episcopos, laruas papales. Tertius est Armacani, astruentis, quemlibet sacerdotem, cum abest Episcopus, ipsius obire munera posse. De secundo copiosa à Theologis recentioribus disputatio, ac firma habita est; nos breuibus agere oportet, vt consensionis ratio postulat. Ac primum vetustorum Patrum testimonia eorum, qui propius Apostolorum tempora floruerunt, afferenda sunt, ex quibus colligitur, genere, non gradu Episcopum à sacerdote differre. Ait D. Dionysius, Pontificum ordinem sacratiorem esse ceteris omnibus ordinibus; neque quemquam sacerdotem sine Episcopi beneficio esse; genere ergo differre, non tantum gradu astruit. Idem Leo Pontifex epistola 66. & D. Chrysost. in expositione Epistolæ ad Titum cap. 2. Quod vt illustrius doceatur, pono necessarium esse, in sacerdotum numero ordinem quendam esse præstantiorem; tum quod idem & in præstantioribus, ac cælestibus cernitur, & in abiectioribus, ac terrestribus. Cælestes enim animi hoc inter se (vt diximus) ordine continẽtur, vt vnus ceteris præsit. Corpora inferiora vnius cælestis corporis tactu, & lumine commutantur, atque administrantur. Humanæ quoque, ac ciuiles societates sese tueri nullo pacto possunt, nisi eorum, & qui imperent, & qui pareant, ordo constitutus sit. Ac demum quinque ferè numero sunt ea, quibus esse præditos Ecclesiasticos magistratus ad fidelium societatem gubernandam constitutos necesse est. Auctoritas. Probitas. Sigillum. Prudentia. Eruditio. Hæc autem tantæ multitudini sacerdotes suppetere haud possunt; igitur & clericis, & populo præesse Episcopum oportet, qui ijs & lumen afferat vt sol, & dirigat, vt norma. sed hæc vberius suo loco. Postremus error superioribus est affinis, cum enim promiscuas facit Episcopi, & simplicis Sacerdotis functiones, easq; sola Episcopi absentia disiun-

disiungit; nihil intereſſe, quod ad eſſentiam pertineat, inter eos putat: itaque eodem refellitur modo. Diſſenſio bipartita eſt, vna eorum, qui ſentiunt Epiſcopum ita à ſacerdotio differre, vt alterius ſit generis proprioq; charactere inſignitus; Altera illorum, qui aſtruunt, non modo gradu, ſed genere differre, nec tamen toto, vnico autem charactere inſigniri ambos. Tuentur ſe primi, quod vario ritu conſecrantur Epiſcopi, & ſacerdotes, diuerſaq; eſt vtriuſq; functio; multa enim poteſt Epiſcopus, quæ attingere ſacerdos ſimplex non poteſt, vt ſacrorum collatio eſt ordinum, & quæ ſunt eiuſdem generis. Adiungunt, quod niſi diſtinctus eſſet ordo, poſſet funditus tota eius ratio euerti; nam ſola tunc remaneret iuriſdictio, quæ ipſi propria eſt, nec in ſimplicem ſacerdotem cadit. Hæc autem iuriſdictio ſimpliciter, autem Iudicis ſententia, aut crimine aliquo, aut hæreſi plerumque tollitur. Epiſcopi autem ratio non idcirco euertitur: priuatus enim Epiſcopus, ſi reſtituatur, non alia indiget conſecratione, vt ſuo munere fungi queat. Itaque eo conuincitur, alium eſſe Epiſcopi, & aliũ ſacerdotis ordinẽ, eoſque non ſola iuriſdictione diſtingui. Secundi concedunt quidem vt iſti, diuerſum eſſe Epiſcopi, & ſacerdotis ordinem, iiſdemq; nixi rationibus, quòd varia eſt vtriuſque conſecratio, diuerſa functio, quòd eius vis nullo vnquam tempore, aut ratione labefactari queat: eodem autem, non alio inſigniri charactere ſtatuunt, ſiquidem par eſt conſecrandæ Eucharistiæ vtriuſque poteſtas. Itaque perſpicuum eſt (aiunt) eodem, ſed non toto genere differre. Hæc ſane ſunt, quæ in eiuſmodi controuerſia afferri ſolent. De conciliatione modo agamus.

CAP. II.

Conciliatio opinionum.



DVPLEX esse Christi Corpus, communis est omnis Theologorum assertio; verum scilicet, & mysticum, vt antea disseruimus, eoq; factum esse censent, duplicem quoque Ecclesiæ, eiusq; ministris, potestatem diuinitus fuisse tributam, ordinis, & iurisdictionis. Ordinis etiam verbo duplex est subiecta significatio; nam & status (vt loquuntur vulgo) qualitas cuiusq; personæ ordo dicitur. Ciceronis enim familiaria sunt illa. Equestris ordo, Senatorius, Plebeius, dignitatem, gradumq; eo nomine explicans, qui vel senatori, vel equiti, vel plebeio conuenit: & receptissimo inter Theologos vsu, vnum ex septem Sacramentis, quo ministri Ecclesiæ consecrantur, declarat, quoniam apta quadam dispositione ij & ritu initiantur vario, & dispari gradu, & potestate funguntur. Quibus ita constitutis facile est, cum errantes resipiscere, tùm dissentientes quiescere. Ac primum, si Episcopis sacerdotes pares in ea facultate, quæ in Christi vero corpore versatur, assererent, nihil illi quidem à veritate alienum statuerent: nulla enim in eo sacerdotis est dignitate maior: sin eos omninò pares mystici quoque corporis administratione cēsuerint, iam nos illos confutauimus, asserentes naturali quoque ratione, nedum auctoritate diuina, præstare Episcopos sacerdotibus Christiani populi gubernatione. conuenire quoque hoc modo Auctores catholicos arbitror. Quoniam & Episcopatus ordo est prima, & latissima vocabuli significatione, & non est ordo, vt Ecclesiasticum Sacramentum: cùm enim amplissimus sit in Ecclesia sancta Episcopatus gradus, functionesq; suas, ac proprias habeat instituendi ministros ad sanctissimam Eucharistiam proxin è cōsecrandā, Chrismaq; sacrum conficiendum, & quæ sunt eiusdē generis; & ritu proprio, ac præstantissimo consecratur; ne dubitare quidem fas est, eum ordinis nomine, & vi esse dignissimum. Quia

verò

verò nihil ad veri corporis consecrandi facultatem ad ungit, qua dūtaxat ratione Sacramenti vim ordo suscipit, Sacramētū appellari non potest. Ac præterea quoniā character ita in animis ordinis sacramēto imprimitur, vt in eo nihil magis Episcopus excellat quā simplex sacerdos, charactere nouo nō insignitur. Vis tamē alia proculdubio eius ordinatione inducitur, ministros instituendi, Chrismatisq; Sacramentum conficiendi, ac præterea proprio ritu cōsecratur, ceteraq; eius generis, quæ labefactari nō possunt, in eum cadūt, idcirco nō iurisdictione tātum à sacerdotio distinguitur, sed gradu, dignitate, ac propemodum genere. Ac D. Hieron. nominis societate, vtrosq; coniunctos esse astruit, non genere; quoniam functionum varia eis momenta attribuit; siquidem instituendi, ordinādiq; ministros simplicibus sacerdotibus facultatem ademit, Episcopis tātum vt propriam detulit. Atque in hanc sententiam accipienda sūt sacrarum litterarum, aut sacrorum testimonia Doctorum. Perspicuum est ergo, nihil controuersiæ, aut dissensionis relictum esse: & Episcopum non iurisdictione tantum, sed genere, licet non toto, & sanctionis spiritualis ratione à sacerdote differre; quoniam iurisdictio Episcopalis tametsi non consecratis acquiritur, cap. ex l. de excess. Prælat. spiritualis tamen functio, nisi consecratio, nisi vnctio, nisi vestes, & certi ritus accedant, nullo modo exerceri ab eo potest. Vt ergo manus sacerdoti inunguntur ad vim sanctissimæ Eucharistiæ consecrandæ significandam; ità Episcopo inungitur caput, vt instar Christi Domini, qui omnium, & cælitum, & hominum est caput, ipse Ecclesiæ suæ caput efficiatur. Nec verò ab hac dimoueri sententia quisquam debet, quod ministros consecrandæ Eucharistiæ Episcopus instituens, veri dominici Corporis habere rationem videatur, ideoq, verus censeri ordo debeat, proprioq; charactere insigniri: non enim omnis, quæ ad Christi corpus refertur, facultas ordinis rationem statuit, charactereméq; imprimit, sed ea dumtaxat, quæ ad illud quidem proximè accedit, vt Missæ est celebratio, & eius administratio, qualis Episcopi non est, qui ministros tantum instituit, disponit, & appa-

rat. Itaque nō ex numero sacramentorū Episcopatus habēdus. Ex his perspicuū est, talē esse definitionē ipsius. Episcopus est sacerdos solēni & proprio ritu, ac cerimonijs, à tribus Episcopis ad procreādos Ecclesiasticos ministros, oleaq; sancta cōficienda consecratus, suæ Ecclesiæ, ac diœcesi plenum ius præsidēdi, administrādiq; habens. Ita quoque Episcopatus est ordo, quo triū Episcoporū manus impositione, rituq; Ecclesiæ sanctæ solēni spiritualis potestas firma sacerdoti tribuitur ecclesiasticos ordines conferendi, oleaq; sacra cōsecrādi, diœcesi præsidendi pleno iure, eamq; administrandi. Duo modo supersunt explicanda ad sacerdotis, & Episcopi perfectam rationem cōstituendam. Primum, quod inter se functionibus distinguātur. Alterum, quo potissimum signo potestas Episcopi, quæ aboleri nō potest, conferatur: vtrūq; breuiter, ac facilè colligitur. Sacerdotis, & Episcopi discrimina varia non ex functionibus dumtaxat, sed ex ornamentis quoque aptissimè ducuntur. Nouem autem esse Episcopi propria ornamenta, vetustissimo sanctæ Ecclesiæ ritu receptum est. Sandalia. Caligæ. Succinctorium. Tunica. Dalmatica. Mitra. Chirothecæ. Baculus. Annulus; ijsq; vti Episcopus, aut qui priuilegio insignitus est, potest; præterea nemo. Nouem quoque sunt Episcopi propriæ, quæ in aliū per se cadere nō possūt, functiones. Clericorum ordinatio, eorum depositio. Virginum consecratio. Basilicarum dedicatio. Synodi celebratio. Chrismatis confectio. eiusdem collatio. Episcoporum consecratio. Vestium, & vasorum benedictio. Atque hæc, vt ex diuo Thoma habetur, numero ornamentis respondent. Fuerunt autem hæc magna ex parte ex veteri lege desumpta; nam crucem gestat pro lamina. Sandalia pro Feminalibus. Albam pro linea. Cingulum pro balteo. Tunicā pro podere. Amictum pro rationali. Mitrā pro cidari. pro Superhumerali stolā. Sed quorsū singula hæc spectēt, quoniā ex alijs petere licebit, declarare prætermittimus. De altero nunc disputemus. Triplex sententia fuit. Vna eorum, qui in annuli immissione, potestatē Episcopalem attribui putāt. Alia illorum est, qui capitis vnctione eandem conferri sentiunt. tertia, impositione manus ab ordinatore Episcopo dari decernit,

ac singulæ quoque suos habent auctores, & rationes. Prima D. Bernardum patronum habet in sermone de cœna Domini, dicentem. Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum &c. Ac vt rationem adiungamus, eo Episcopalis potestas, quæ aboleri non potest, censen ia est deferri, quo Episcopus à ceteris distinguitur: Sed communi Theologorum sententia, Episcopus propriè nomen, ac ius sponsi Ecclesiæ habet; spõsus autẽ annuli subarrhatione & constituitur, & indissolubili nexu sponsæ cõnectitur. In hoc igitur signo eiusmodi potestas tribuitur. Alia quorundam Iurisperitorum, eoque nituntur, quod in pontificali dicitur: Vngatur, & consecretur caput suum in ordine pontificali: cum vero ea vnctione Prælatus Ecclesiæ, & Pontifex nominetur, & consecretur: (nam in ceteris, quæ circa ipsum hucusque adhibentur cerimonijs, nulla fit pontificalis nominis mentio) meritò vnctione tribui, asserendum est. Tertia est, quæ à Silueſtro asseritur. Quod impositione manuum Episcoporum super caput, eiusmodi potestas confertur. Affert Argument. c. Episcopus. cum glos. dist. 23. Ac ratio esse potest, quoniam eodem modo & Christum Dominum, & Apostolos, Apostolicosque viros vsos fuisse legimus. Verùm enimuero hæc omnia ferè eodem spectant. Sed vt clarius causam decernamus, animaduertendum est; aliud esse quærere, quo potissimum indelebilis potestas Episcopo conferatur: aliud, quid magis consecrationis essentiam attingat. Etenim ad vnum omnes fatentur, ad consecrationis vim explendam, vt efficacia signa hæc tria pertinere, sed manuum dumtaxat impositione potestas proculdubio cõfertur, itaque nulla superesse dissensio videtur. Nam attributa prius per manuũ impositionem potestate, declarata deinde adhibẽtur signa, vnctionis capitis, & manuũ, traditionis baculi, annuli, & Euangelij. Quocirca huc spectat D. Bernardi auctoritas, quod annuli subarrhatione indissolubilis potestatis nexus significetur; idemque de vnctione astruendum est: Quæ quidẽ, vt firmius teneãtur, sacrarum litterarum sunt auctoritate communienda. Noli negligere (ait Apostolus) gratiam, *ad Timoth.*

quæ

quæ data est tibi per impositionem manuũ presbyterij: explicant Græci sacri Doctores, Presbyterium, Episcoporũ cœtum. Itemque manum citò ne imposueris; ac cap. primo Epistolæ secũdæ: Vt resuscites gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum. Gratia autem hæc potestas meritò vocatur, quoniã & gratuito à Deo tribuitur, & gratiam confert, & nullo pretio ab ordinatore confertur sed gratis, & nõ naturæ vi, aut ingenij, sed gratiæ munere promeretur. Hæc satis.

CAP. III.

De Episcoporum varia ratione.



PISCOPVM à sacerdote, non modo genere differre, sed eũdẽ, potestatis ratione lõgè præstare cũ ex dictis cuique perspectũ esse videatur: sequitur nũc vt explicetur, simplex ne sit Episcoporum auctoritas, an multiplex: eaque si multiplex, genere ne, an magnitudine, & gradu differat. Ac primum quidem conueniunt omnes ad vnum, multiplicem eandem esse: quippe cum inde ab initio nascentis Ecclesiæ D. Petrum ceterorum à Christo præsidem constitutum, atque adeo principem, illis quidem verbis: Tu es Petrus, & super hanc petram (*Matth. 16.*) ædificabo Ecclesiam meam. Itemque: Pasce oues meas, &c. (*Ioan. 20.*) perspectum sit. Quocirca vetustissima, ac perpetua Ecclesiæ constitutione, ac more, quatuor gradibus Episcopi auctoritas fundatur, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Summique Pontificis. Sed ne aduersarijs nõ accitis, iudicium factum esse conqueri possint, suam agentes, prius audiamus. Vt vnus est Deus, vnaque Ecclesia, atque adeo vnus mediator (*Eph. 3. ad Thim.*) Dei, & hominum Christus Iesus; ita vnus satis est in vniuersa Ecclesia Episcopus; quoniam & multitudo principum ex Aristotele prauæ administrationis est causa, & vt cõgruentissimè (*12. Metaph.*) vnius corporis vnum est caput, ita sanctæ Ecclesiæ vnus Episcopus. His adde, nusquam in sacris litteris aliud quàm Episcopi

scopi

scopi nomen reperiri. itaque ficta, aut noua Archiepiscoporum, & Patriarcharum nomina esse videantur. Ac postremò, si ad corporis Christi rationem sacerdotum quoque ratio referenda est, cùm illud quidem aliud verum sit, aliud mysticum, tacorum aliud genus est simplicium, quod per se versatur in vero; aliud Episcoporum, quod mysticum tractat, ac regit. Contra, antiquissima, ac vetustissima traditione hæ Episcoporum dissimilitudines constant, indeq; ab Apostolorum temporibus constitutæ: quoniam & D. Petrus per sese Antiochiæ auctoritatis suæ sedem locauit, & D. Marcum Alexandriæ Patriarchali dignitate præfecit, ac D. Iacobum ad eandem rationem Hierosolymis præfuisse accepimus. Pontificis autem maximi dignitas longè omnibus excellit, vt eum totius orbis terrarum patrem, & Patriarcham appellent. In hac de qua agimus controuersia, id omnibus certissimum est, loco, ac potestate horum differentias constitutas, non ordinatione. Nam & vt Sacerdotes simplices æquo iure in Christi vero corpore versantur, & vt Episcopi mysterium attingunt, dispari tamen auctoritate; superior enim locus amplioq; potestas Archiepiscopis, quàm Episcopis, Patriarchis, quàm Archiepiscopis; summa maximo Pontifici defertur. Quamobrem & simplex est horum ratio, si ordinationem spectes; & multiplex, si loci præstantiam, potestatisq; amplitudinem consideres; deq; non genere, sed gradu, ac dignitate differunt. Quoniam autem eiusmodi dissimilitudines Pontificis Maximi arbitrio & constituuntur, & variantur, & irritantur (plerumq; enim Episcopatus in Archiepiscopalem effert dignitatem; plerumq; iam constitutam irritat, plerumq; titulo tenus eandem seruat) perspicuum est, non iure diuino, sed Pontificio horum varietates niti. Excipio Pontificem Maximum, qui, vt mox docebimus, diuina institutione omnium supremum locum, amplissimam q; obtinet potestatē. Quocircà vt hæc potestas nec labefactari, nec irritari quibuslibet rationibus potest, quoniam diuina est præceptio; ità dissimilitudines illæ quidem, quod imminui, & amplificari, & irritari, & constitui summi Pontificis iussu queunt, humano

iure

iure nituntur. Aptissimè autem distributæ sunt, & ad locorum præstantiam, & ad subiectorum numerum, & ad potestatis amplitudinem. Etenim apud Ethnicos quoque, vt Cicero docet, Diuis alijs Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis flamines constituti sunt. Fenestella autẽ flaminum, Protoflaminum, & Archiflaminum differẽtiam fuisse asserit, quasi gradus essent Episcoporum, Archiepiscoporum, & Patriarcharum, vt non minus decenti ordine Diuina, quàm profana dirigi videantur. Quia verò, vt aduersarios conciliemus, omnes vno inuisibili capite Christo, visibili Pontifici maximo subijciuntur Ecclesiæ sanctæ, nec vnitas horum dissimilitudine euertitur, nec administratio perturbatur: vna enim est Ecclesia ordinis vnitate, non numeri; idest vnius fidei, vnius capitis, vnius ritus, vnius finis, nõ vnius tãtũ ministri, vnius mẽbri, vnius sacramẽti, vnius ac peculiaris cuiusq; electionis, ac potius defectionis. Astitit (inquit Psalmus) Regina, vtiq; Ecclesia, à dextris tuis in fimbrijs aureis, circumdata varietate. Ac demum, si Regis Salomonis mensa, ministrorum varietate summa cum laude excelluit; quis idem decus in Christi mensa non conuenire assereret. Perspicuum est ergo, & multas esse Episcoporum varietates, & has, non genere, sed gradu, & magnitudine, ex summi Pontificis arbitrio differre. Diœcesibus Episcopi, prouincijs Archiepiscopi, Regionibus Patriarchæ sunt Episcopali iure præfecti. De summo Pontifice restat dicendum.

CAP. IV.

De Summo Pontifice.



RIPLEX administrandæ Reipublicæ probatum genus eruditi tradiderunt, Regium, Paternũ, Politicum. Nã publicis rebus administrandis aut vnus præest, aut multi; ex primo Regale ducitur, ex altero politicũ, ac ciuile; ex eo autem quod quisque suis, ac priuatis consulit,

sulit,paternum ortum habet. Quoniam autem Regale ceteris longe admodum præstat:quippe quo Deus præpotens ad mūdi administrationē vtitur,vnus est (ait Philosophus) Princeps, quoniam multitudo Principum mala: male enim res per multos administrantur. Vnus est Deus, & pater omnium;idcirco & sancta Ecclesia,quam Christus amātissimè complexus est, vno moderatore dirigitur,vno capite coalescit,vna potestate dispo nitur. Cum enim Christo Domino etiam vt homini omnis sit collata potestas in cælo,& in terra,eandem Petro,vt suo Vicario,contulit his verbis:Ego dico tibi, quia tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum,& quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Ex quibus verbis & Pōtifici maximo vt D.Petri successori supremā potestatem à Christo Domino elargitā apertissimè colligitur,& quàm latissima, ac præstantissima eius sit vis,efficacissimè cōcluditur.Etenim tria sūt in ipsis spectāda. Quis dixerit. Cui dixerit. Quid dixerit. Is qui dixit Christus Dominus est,quem(vt Apostoli verbis vtar)dedit Deus caput super omnē Ecclesiā,quique verissimè de se ipso pronunciauit: Data est mihi omnis potestas in cælo,& in terra. & iterū: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Quæ igitur promittit, præstare potest.Is dixit,qui verissime de se dicit:Ego sum via,veritas,& vita;veritas ergò cum sit,nec falli à quoquam, nec quēquam fallere potest.Quæ igitur promisit, constantissimè præstitit,idque emphaticè declarant illa verba: ego dico,&c. Sed cui id dixerit,attēdamus.Dico tibi,quia tu es Petrus &c. Petro itaque,non cuilibet ex alijs fidelibus, non cuicumq; ex Apostolis,sed Petro, quod ex nominis vocabulo proprio, ac peculiari,quod in alium nō cadit,explicatur.Licet enim Apostolis omnibus,postquàm è morte ad vitam immortalem redijt,parē cùm Petro potestatem tribuerit,dicēs: Sicut misit me Pater,& ego mitto vos:Accipite Spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata,remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt: tamen vt vnitatem constitueret, ac declararet, vnus Petrus, vt Christi Vicarius,omnibus ipsis Apostolis præfectus est, ideoq;

12. Meta-ph. | Ephes. 3. | Matth. 16. | Eph. | Matth. vlt. | Io 20.

idē didrachma pro Christo,& Petro soluitur;ideò ceteris tacētibus,Petrus omniū nomine respōdit interroganti:Tu es Christus filius Dei viui:ideo Petri potiorē curā suscepit. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.Ideo præscribentē Christum,vt fratribus iniurias inferentibus indulgerent Apostoli, rogat Petrus vice omnium, quoties condonandum illis quidē esset:idcirco denique Petrum, an se amaret, tertio interrogauit,amoremq; asseueranti dicitur: Pasce oues meas. Vnus est ouium Christi pastor, vnum corporis mystici caput, vnus Ecclesiæ sanctæ sponsus.Sed vt hæc ratissima sint,& multorum sanctorum Patrum testimonijs, sacrorum Cōciliorum decretis definita, tantum duæ sunt ambiguitates eluendæ, vt quæ fieri potest,cōciliatio pariatur. Ac primum,omnes esse pares Apo-
Matth. 1. stolos,ex scripturis sacris docetur;nam & omnes sal terræ,mū-
Matth. vlt. diq; luminaria nominantur,& omnibus præceptum fuit:Ite in mundum vniuersum,prædicate Euangelium omni creaturæ:& omnibus dictum est: Quæcumq; ligaueritis super terram. non igitur Petro à Christo principatus delatus esse videatur. Deinde vt demus, id supremi muneris Petro concessum fuisse à Christo, certe ceteris Romanis Pōtificibus item elargitū esse, non plane,vel non plene probatur;singulare enim quodq; certæ personæ tribuitur,alijs tributum esse asserere,rationi cōsen-
Matth. 16. taneum haud videtur.Dicitur autem: Ego dico tibi, quia tu es Petrus,&c. Supremus igitur locus,ac dignitas Petro dūtaxat, non successoribus eius debetur. Sed vt breuius rem agamus, alioquin vberius apud multos,& tractatam,& explicatam, ita puto id controuersiæ posse componi,vt astruamus, Apostolos omnes æqua potestate præditos,ac prælatos vniuerso orbi. Ca-
Psal. 44. nit verissime Psalmus de ijs:Cōstitues eos principes super om-
Psal. 46. nem terram.Item: Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,sed non æquo iure. Quippe cum pia quadā dispensatione ad Euangelium euulgandum ceteri Apostoli eam potestatē acceperint, ideoque ad successores nō pertinuit. At D. Petrus proprij sui muneris summo iure Ecclesiæ vniuersæ princeps, ac pastor constitutus est: nam pasce,ait, oues meas,

expli-

explicat D.Bernardus, oues, quas? Christi, non has vel illas, sed inditinctè, oues: itaque totum commissum ei est, cui nihil excipitur. Atque hac ratione factum est, vt successoribus quoque illa ipsa tributa sit. Petro igitur, & vt singulari personæ, atque adeo singulari munere præditæ, & vt proprio eiusdem muneris iure, totius Ecclesiæ, vsque in finem sæculi, ipsorumq; Apostolorum pastorũ supremo, dignitas, ac potestas commissa est; ceteris Apostolis dispensatione quadam, ideoque non æquo iure. Ac demum, quoniam non singulari dumtaxat Petri personæ, sed eidem proprio muneris demandati iure, successoribus præterea tributã esse, catholica institutio tuetur, ac tenet. Neque enim Ecclesiæ sanctæ aut ratio labefactata, aut vis euersa, aut ius irritatum post D.Petri obitum fuit: quin constantissime pollicitus est Dominus Christus, vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, certè quod eiusdem Ecclesiæ se, supremi quoque sui Vicarij ministrum, consolatorem, adiutorẽ, rectorem, instructorem, pro vniuerso mundi huius cursu futurum fidelissime recepit, idq; apertissimè Apostolus docuit: Ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, alios Euangelistas, alios Doctores, & Pastores in opus ministerij, ad consũmationẽ sanctorũ in opus ministerij, ad ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

De consid.

Io. vlt.

Eph. 4.

CAP. V.

Qualis potestas in Summo Pontifice.


VATVOR ex ijs verbis: Dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, & tibi dabo, &c. Pontificij muneris, ac potestatis rationes præstantissimas Dominus Christus aperuit (vt ex sancto accepimus Doctore) magnitudinem, vim, amplitudinem, perfectionem. Etenim, vt ex solida petræ fundatione vniuersa fabricæ structura pen-

De regimine lib 3. cap. 10.

det,ac nititur;ita ex Petro, eiusq; de Christo firma confessione, Tu es Christus filius Dei viui, Ecclesiæ vniuersæ administratio pendet,ac nititur; eoque ac suis legitimis successoribus demandata decernitur,cum dicitur: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nihil igitur Ecclesiasticæ structuræ solidum esse potest, quod non Petri, ac successorum auctoritatis ministerio sustinetur. Quanta verò est vis,quam portæ quoque inferi, idest, tyrannorum immanitas,hæreticorum peruersitas, dæmonum versutia labefactare non queunt? Stant enim Christi Domini efficacissimæ preces : Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Amplitudo autem latissimè patet his verbis: Tibi dabo claues Regni cælorum;nã vt clauis est ratio, vim aperiendi, atque claudendi continere;ita potestas D. Petro ac successoribus collata,est ad vniuersæ Ecclesiæ, quæ cælestis regni vocabulo significatur, administrationem ; quæque aperitur,cum vel ad communionem Ecclesiæ quisque rerum diuinarum prædicatione, sacramentorum collatione, sacris adhibitis ritibus,ac salutaribus legibus constitutis ducitur:vel demum dum ad huiusmodi exercenda munera legitimè præficiuntur ministri:clauditur verò,cum aliquis sacramentorum communione anathemate priuatur,aut certum officium, aut eius actio, & administratio interdicitur; ac postremò,absolutionis negatione; siquidem Regni cælorum vocabulo triplex est subiecta significatio: Prima cœtus est piorum,qui in terris adhuc,dæmonis,carnis,ac mundi certamina sustinens, militãs recte appellatur, de qua multæ Christi Domini parabolæ, de sagena, de fatuis virginibus, & sapientibus, &c. Alia cælestis beatorũ vnio, quæ Dei clara visione gaudens, triumphans dicitur. A diebus (inquit Dominus) Ioãnis, Regnũ cælorum vim patitur. Tertia sacræ litteræ. Auferetur à vobis Regnum Dei,& dabitur genti facienti fructus eius. Explicat D. Hieron. pro Regno Dei,sacram Scripturam. Claues igitur Regni cælorum traduntur,quoniam potestatis vis confertur, & ad referandum triumphantem Ecclesiam pœnitentiæ sacramentum adhibendo,& ad claudendam militantem,excommunicationes, interdicta.

Matth.
Luc.
Math.

dicta, suspensiones inferendo, & ad eamdem aperiendam, beneficium absolutionis impendendo. Ac demum homines ad certum diuinarum rerum sensum, ad præscriptas seruandas leges, ac ritus, obligando. Perfectio autem ea est, vt nulla possit ex omnibus cum eadem conferri. Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Vt enim capitis est ratio ad cetera membra, ita summi Pontificis ad ceteros Christi fideles. Caput tale est, quod omnis motus, ac sensus ab eo vt perfectissimo, in membra omnia deriuatur, quoniam fons est, & origo cuiusq; motus, & sensus. Pontifex igitur ea re summam obtinet in omnes potestatem, summum ius, summum imperium, vt nihil intersit, Græcus sit, an Latinus, laicus, an clericus, religiosus, an profanus, Rex, an subiectus, à quo ceteris pro rata parte suo arbitrio præscriptum imperium, ius, potestas distribuitur. Ac propemodum, vt de plenitudine Christi (Ioanne teste) nos omnes accepimus, ita & ceteris omnibus gratiarum fluenta, iurisdictiones, potestates, ordinum descriptiones à Summo Pontifice impertiuntur. nunc conciliemus aduersarios. *Ioann. 1.*

CAP. VI.

Dissentientes ad concordiam reuocantur.



Nimvero quoniã in hoc argumenti genere multi eruditissimi viri egregiè versati sũt, multitudine, & auctoritatum, & rationum, supersedendum esse duxi; conciliationem tantum curandam censui. Ac primum nonnullis minimè probatur, D. Petrũ esse petram, ac præterea ecclesiasticæ structuræ solidum fundamentum; propterea quod ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Petra autem ex Apostolo, Christus est, non Petrus; & quoniam fundamentum Christus est, nõ Petrus, Apostolo docente: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus; excludit *Matth. 16.* *1. ad Cor. 3.*

igitur Petrum,& ceteros non constituit fundamentum, Christo dumtaxat eam rationem tribuens, ceteris omnibus detrahens; itaque super se ipsam aptissimè Ecclesiæ structura cõstituitur. Quid quod non stabilitas, sed imbecillitas in Petro reperta est, cum Christum negauit, quæ plurimum à fundamenti solidi ratione abhorret? Quasi verò otiosa, vel falsa connexio ea esse videatur, scilicet: Et super hanc petram, cum potius serio, ac verè adiungatur; debeatq; eiusdem esse significationis, vt nomen Petrus; ac potissimùm, quod hæc verba ad Petri laudẽ, & celebrationẽ pertinent, quæ & obscura, & manca, ac potius nulla reddũtur, si ex Petro mutatio fieret ad petrã, id est, Christum. Quæ enim clara laus esset, si diceretur: Tu es Petrus, & super hanc petram, super me scilicet, nõ super te, ædificabo? idem igitur intelligitur vocabulis Petrus, & petra. Quocirca eruditi viri docuerũt Chaldaico sermone, quo Dominus Christus vtebatur, idem declarari nomine Petrus, & petra; Syriacè autem redditur: Tu es lapis, & super hunc lapidem ædificabo, &c. Qui sanè sensus omnibus probatus est Patribus, Tertulliano, Hilario, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Euthymio, &c. Tam igitur Christus est Petra, quàm Petrus ob firmam fidei confessionem. Tam Christus est fundamentum, quàm Petrus, quoniam ædificata est Ecclesia (docente Apostolo) supra fundamentum Apostolorum, quorum primus est Petrus. Hoc interest, quod Christus auctoritate suæ excellentiæ petra est, & fundamentum, Petrus participatione quadam, & ministerio; ille petra primaria, & fundamentum fundamentorum; hic, petra secunda, & fundamentum ex primo fundamento. Itaque nullus petra prima, nisi Christus, nullus fundamẽtum primum, nisi Christus; at Petrus petra quidem super primam petram, fundamentum ex primo fundamento. Facessant ergo dissentientes, immo nobiscum copulentur consentientes. Quod autẽ affertur de Petri negatione, varia ratione refelli solet. Mihi sic aptissimè cõponi posse videtur: Corde (ait Apostolus) creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutem; fides igitur animi est habitus à Deo infusus, confessio verò est eiusdem fidei

Ioan. vlt.

ad Eph. 3.

actus,

actus: habet autem fides suæ rationis intrinsecam perfectionẽ, tametsi oris cõfessio desideretur; vt quælibet forma, licèt actionem nõ habeat. Quocirca Petrus vtcumque Christum se nosse negauit, quod timore perterritus se eius discipulum, ac comitem fateri recusauit, tamen animo seruauit fidem in illum, atque adeò fidei ratio intrinseca integra remansit, vt verissimè seruatum promissum Christi sciamus: ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Lapsus ergo est, sed non fide, tantum fidei actu; negauit enim se illius fuisse discipulum, & comitem, eumque nosse. Sed quam horaria ea negatio fuerit, perspicuũ est, quod posteà respexit Dominus Petrum, & recordatus verbi, quod dixerat ei Dominus, prius quam gallus cantet, ter me negabis, egressus foras fleuit amare: itaque nõ diù defecit, tantum ad horam. Firmissima ergo Petra Petrus, qui dominicæ precationis firmissimo fundamento stabilitur. Extremum est, vt eos placemus, quibus sententia illa quidem minimè probatur, qua, Põtificis Maximi auctoritatem latissimè patere, astruitur, summoq; in omnes imperio munitam. Etenim, vt inter se maximè distincta, Regnum, & sacerdotium Christus Dominus cõstituit: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. & Apostolus Petrus ait: Subiecti estote omni humanæ creaturæ, siue Regi tãquam præcellenti, siue Ducibus, tamquam ab eo missis. Tam igitur in humanis rebus imperium regium excellit, quàm in diuinis sacerdotium; & æquo iure sunt eiusmodi potestates inter se distributæ, atque à Deo constitutæ. Testantur sacræ litteræ: Per me Reges regnant. Item Ministri mei sunt. Itaque suis quisque finibus Sacerdos, & Rex contineri debet, alienũ ius non inuadere. Hic vt extrema vitemus, quibus viriũ necessario contrahitur, mediam sententiam complectimur, asserentes cum Doctore sancto, Pontificem maximum, & successores, sũmo, & in diuinis, & in humanis imperio pollere; siquidem, vt corporis omnis motio, ac sensus ab animo pendet, & quod caducũ est, æterno nititur: ita corpora, & caduca imperia, ac potestates, ex diuina, & Ecclesiastica potestate pẽdẽt, ac sustinẽtur; idque verissimè declarãt verba: Quæcumq; solueris super

Matth. 22.
Ep. 1.
Prouer. 8.
Marc. 16.

per terrã, erũt soluta & in cælis: Quæcũq; ligaueris super terrã, erunt ligata & in cælis: hoc interest, quod diuinis, ac spiritualibus, per se, ac proprio suo iure, ac plenissimè præsidet: & eadē administrat: humana, ac laica (excipio quæ illi quidem, vt Regi subiecta sunt) non administrat (vtor eximij Doctoris verbo) nisi ratione delicti. Nam cum Ecclesiasticæ potestatis vis in subiectorum vtilitate, quantum ad fælicitatis adeptionem, cernatur (hæc enim ratio verbis illis subiecta est pasce oues meas). perspicuum est, ad hanc quoque rationem moderandum, & dirigendum esse de humanis, & caducis regnis ecclesiasticum imperium, idque apertissimè sanctum Apostolum docuisse, videri potest. Arma nostra spiritualia sunt, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Delicta autem, siue crimina triplici genere continentur. Primum est, hæresis, quæ fidei, ac religionis nostræ sinceritatem labefactat. Aliud. Schisma, quod Ecclesiæ sanctæ vnitatem dilacerat. Tertium iniustæ, ac prauæ leges, quæ Ecclesiasticã libertatem siue immunitatem lædunt, naturalem æquitatem conuellunt, probos mores euertunt, C. cum secũdũ leges. de hæreticis in 6. Possunt igitur quoscumque Principes ijs se sceleribus obligantes, principatu abdicare, alios subrogare, excommunicationi subijcere, alijsq; pœnis ad officium reuocare, ac leges iniustas irritare, merentesq; supplicijs castigare. Atque huc pertinere asserendũ est id Hier. 1. Ecce constitui te super gentes & regna, &c. quibus nominibus variæ criminum pœnæ declarantur. Quo ad imperium ergò non æquo iure sunt, quoniam summum est in Pontifice maximo, pro rata parte in Regibus, ab eodem dependens, quò ad vsum verò, & exercitium, modo exposito, idq; obtinēt sacrarum testimonia litterarum. Quibus positis, omnem sublatam esse cõtrouersiam reor, partam, si rectè sapiunt, inter omnes, concordiam. Hæc de Pontifice maximo, siquidem de summorum Patrum, id est, Cardinalium proprio & munere, & auctoritate, suo loco disputabitur:

1. lib. de reg. prin. cap. 10.

Io. 21.

ad Chor. 1.

tur: modo quæ ad Episcopos, ceterosq; Episcopali dignitate præditos pertineant, aptè explicata esse videntur.

CAP. VII.

De Episcopi, & Ecclesiastici magistratus nomine vario.



VONIAM esse quidem Episcopatus ordinem, quibusq; gradibus contineatur, ex ijs perspicuum est, de nomine nunc vt agamus oportet. Sacrarum rerum præfecti multis sunt nominibus notati. Etenim plerumq; proprijs, plerumq; translatis vocabulis appellati sunt. Nã si vetera repetamus, & Sacerdotes, & summi dicebantur; siquidem in sacrorum procuratione locum principem obtinebant, & Pontifices (vt ait Doctor egregius Bernar.) quoniam se ipsos pontes faciunt inter Deum, & proximum. Pertingit pons iste vsque ad Deum ea fiducia, qua non suam, sed illius gloriam quærunt; pertingit vsque ad proximũ illa pietate, qua & ipsi, nõ sibi prodesse desiderant: offert Deo bonus mediator preces, & vota populorum, reportans illis à Deo benedictionem, & gloriam; Et pastores (vt non omnia persequamur) vocantur. Si autem nouæ legis institutis insistamus, & hæc, & multa alia repetiemus. Nam & Præpositi, & Episcopi, & Sal, & Lumina, & Ministri, & præstanti ratione Apostoli nuncupantur. Obedite (ait Apostolus) præpositis vestris. Oportet Episcopum doctum esse, &c. Vos (dixit Dominus) estis sal terræ, vos estis lumen. Sic nos (idem Apostolus) existimet homo, vt ministros Christi. Duodecim elegit, refert Euangelium, quos & Apostolos nominauit. Etenim de Sacerdotũ nomine, & Pastorũ nihil attinet dicere. Passim quoque apud Apostolum nomen primum, apud Christum Dominum secundum inuenitur; Vnde Petro, & ceteris dixit: Pasce oues meas. Vulgatissimum est nomen Episcopi, quo & Ethnici vsi sunt ad eos, qui esculentorum, & poculentorum curam gerebant tit. de muner. & honor. l. munerum.

ad Hebr. 13
ad Titum.
Matth. 4.
1. Corint.
Io. 10.

§. Irenarche. verf. Item Episcopi. Sed nostri aliter, vt dicemus, vsurpant. Multis omissis, nos tria ex istis fusius tractanda, ex D. Bernardi doctrina sumamus, Episcopum, Sponsum, Pastorem. Ecclesia autē Ciuitas propter collectionem dicitur, Sponsa propter dilectionem, Ouis propter mansuetudinem; propterea, quicūque opus ministerij huius sortiti estis, attendite vobis, & pretioso deposito, quod vobis traditum est. Ciuitas est, vigilate ad custodiam concordiamq́; . Sponsa, studete ornatui. Oues sunt, intendite pastui. Ex quibus perspicuum est, tria esse excellētiora Præfectorum Ecclesiæ nomina: Custos, siue Vigilans, siue Episcopus (idem enim sunt) Sponsus, Pastor. Cum enim Episcopus, Græcum sit nomen, atque coniunctum (dicitur enim ab ἐπὶ, quod est super, & σκοπὸς; id est, intentio) inde est, quod Episcopus, superintendens interpretatur; quoniam vigilanter intēdere super gregis Ecclesiastici custodiam debet.
Io. 2. Sponsus est, qui habet sponsam (vt dicitur in Euangelio) cogitareq́: & omni studio curare debet ea, quæ sunt sponsæ. Pastor verò à pascendo dictus est; siquidem ab officio, & munere cuique nomen aptè imponi solet: pasci autem in bruta animātia propriè cadere potest; vt vesci, ac cibo vti in ea, quæ rationis sunt capacia. Itaque translationis iure, Pastor dicitur, qui Ecclesiæ curam gerit, verboque, ac exemplo, & oratione eam pascit; atque ad eam rationem in sua accipit ordinatione mitram vt Episcopus, annulum, vt sponsus, baculum vt Pastor. Nam vt bicornis est capitis mitra, ita vtriusq; Testamenti eruditione Episcopum præditum esse oportet, vt hostium (ait D. Bernardus) insidias sagaciter exploret, anticipet consilia malignantium, deprehendat laqueos, elidat tendiculas, retiacula dissipet, machinamēta frustretur. Annulus indiuiduam ac perpetuam vitæ societatem, ac fidem declarat erga sponsam Ecclesiam. Baculus ad lupos arcendos, ouesq́; dirigendas, pastoribus est vsui. Sed illud præterea animaduerti hoc loco velim, quod etsi Parochi animarum curam gerere, earumq́; salutem, & procurare, & tueri officij proprij ratione debeant, ideoq́; Pastoris nomen eis meritò deferendum esse videatur;

pro-

proprie tamen,& omninò Episcoporum est eius muneris absoluta ratio, & facultas; ijq; soli Ecclesiæ sponsi habendi sunt, idq; & ex annulo declaratur, quo ipsi soli decorantur; siquidē propriè successores Apostolorum censendi,& appellandi sunt, vt habet can. Quorum vices. distin. 68. Hinc Augustinus: Pro patribus nati sunt tibi filij. Patres missi, sunt Apostoli, Apostolis nati sunt filij, Episcopi. Ita ergo Parochi & Pastores nominantur præcisa quadam,& non absoluta ratione,& soli Episcopi vt sponsi, ita & pastores proprie, expletaq; significatione appellantur. ad hanc rationem ij omnes Pastores sunt, qui pleno iure collegijs præsunt, Abbates, Priores, Præpositi, siue alio nomine nuncupentur: sed nos vno plerumq; Episcopi vocabulo declaramus. Hæc de nomine.

CAP. VIII.

De qualitate Episcopi in genere magistratus Ecclesiastici.

PROXIMVM est modo docere, quibus esse rebus instructos eos oportet, qui munus Episcopi præstare debent. Etenim ex D. Bern. colligitur, Episcopos custodiam,& concordiam, fidelium collegio præstare par esse, quoniam vigiles: decorem Ecclesiæ quod sponsi: pastionem, quia Pastores; ac singula quæq; is quoque nō pie modo, sed erudite declarauit. Custodia ciuitatis, vt sit sufficiens, trifariam erit, à vi tyrannorum, à fraude hæreticorum,& à tentationibus dæmonum. Ex quibus perspicuum est, rectè eūdem collegisse, ad id muneris opus esse viro fortissimo, spiritali, fidelissimo. Nam & eius est iniurias propulsare. Hoc enim inter verum præsidem, & mercenarium interesse Dominus docuit; quod mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; ille autem resistit vsque ad sanguinem, animā quoque Io. c. 10. suam pro eis ponit, nullis minis terretur, nullis incommodis retardatur, nullis molestijs reuocatur, nullis supplicijs abducitur,

officium suum tueatur, ac pro eorum salute, qui suæ sunt fidei crediti, omnia & gerat, & perferat. Spiritalis verò, vt non quidem prudentia carnis, sed spiritus ducatur, circumspiciat, omnino omnia caueat, & capiat vulpes quoque paruulas, quæ demoliũtur vineas. Fidelis, vt nõ sua cõmoda quærat, sed quæ Iesu Christi. Sponsi autem sunt partes ornatum afferre sponsæ, in moribus honestandis, probis functionibus exercendis, ordinibus constituendis; quibus sanè pulcherrimus elucet Ecclesiæ decor. Hoc autem duplici studio paritur, & præstatur; diligentia scilicet, & disciplina; diligentia efficitur, vt ne prauum aliquid irrepat; disciplina, vt quod irrepsit, corrigatur. Quid Pastor? Gregem pascet? siliquisne porcorum, an palustri paliuro, ac iunco? non certe, sed in montibus virentibus, in montibus Israel, & vberrimis pascuis. Hæc enim sunt ouium, & Christi ouium pascua diuinarum litterarum, quæq; ad illas pertinent. sed est (ait idem deuotus Doctor) distinctio. Nam sunt mandata, quæ duris, atque carnalibus animis imponuntur ex lege vitæ, & disciplinæ; & sunt onera dispensationum, quæ infirmis, & pusillis corde de respectu misericordiæ apponuntur; & sunt cõsiliorum solida, & fortia, quæ ex intimis Sapientiæ proponũtur sanis, & qui exercitatos habent sensus ad discretionem mali, ac boni; paruulis namq;, tamquam agricolis, adhortationis lac potus datur non esca. Quocirca ex his perspicuum est, quanta debeat pastor eruditione præcellere. Iam vero vt hanc totam rationem perstringamus, quatuor esse numero ea, quibus Ecclesiasticos magistratus summos præditos esse necesse est ad munera sua probe obeunda, auctoritatem, probitatem, Eruditionem, Prudentiam, quorum deinceps singula explicemus oportet.

Cant.

ad Phil. 2.

Ezech. 34.

ad Heb. 5.



LIBER

Liber Tertius.

CAP. I.

De Auctoritate, an sit de Iure Diuino.



PISCOPORVM maximam esse in Ecclesia auctoritatem, ne dubitari quidem potest, & nos alio capite explicabimus: modo id dumtaxat indagandum est, quonam iure sint illi quidem constituti, & quo eorum auctoritas nitatur. sunt enim qui dissensiones opinionum hac de re esse volunt. Nam quidam diuino iure, quidam humano eam auctoritatem constitutam esse contendunt, Ac isti quidem hanc potissimum afferunt rationem, quod summus Pontifex Episcopos eligit, quos sibi libet, eis Ecclesiam cõmittit, Diœceses suo arbitrio distribuit, easq; vel coarctat, vel amplificat. Huc accedit, Christiani Populi curam generalem, & summam soli Petro, ideoq, summo Pontifici esse demandatã, cui dictum fuit: Pasce oues meas; ceteri autem Episcopi in par- Io. 21. tem (vt loquuntur) solicitudinis adsciscũtur, nec ab alio, quam à Pontifice. Eoq; pertinet, quod Apostoli sua auctoritate Episcopos constituerunt, vt Paulus Timotheum, & Titum. Postremo vnitas Ecclesiæ, & parendi vni necessitas, quæ ceteris est præferenda priuilegijs, non admodum commodè contineretur, si singuli quique Pastores eodem instituerentur iure, quo Pontifex, qui eorum est caput: solutos enim se ab eius imperio arbitrari illi quidem possent, quoniam se diuinitus (æque vt Pontifex) Ecclesiæ propriæ præfectos esse assererent. Iure igitur Pontificio, atque adeo humano Episcopi constituti sunt, eorumq; auctoritas nititur. Alij verò diuinitus, non autem hominum arbitrio eosdem constitutos asseuerant; idq; sacris litteris manifestissimè docent. Attendite vobis (ait D. Paulus) & vni- Actuũ 20. uerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et ad Eph. 4. Ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, alios Doctores, atque Eph 4. Pastores. Pastoris autem vocabulo Episcopus præcipuè declaratur:

1.Cor.4. ratur. Quare & alio dicebat loco: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, &c. Eo pertinet, omnibus dictum à Christo fuisse Apostolis, quorum & locum, & vicem Episcopi suscipiũt: Quæcumq; alligaueritis, &c. Ac postremo, cũ Episcopatus inter ea numeretur, quæ à Dei præcipua quadam beneuolentia
1.Cor.12. Ecclesiæ conferuntur, Apostolo dicente: Diuisiones gratiarũ, &c. Profectò diuinitus institutus est, non hominum arbitrio. Quamobrem diuino iure & nixam esse Episcopi auctoritatem, & institutam omnino volunt. Mihi autem accurate rem consideranti nullo pacto videtur, rationi consentaneum esse Auctores inter se dissentire, quod manifeste probabo. Ac pono in primis, quod ius diuinum nihil sit aliud, quàm facultas, & præceptio agendi id, quod Deus instituit, vt id sit, quidquam esse ex iure diuino, quod sit diuina præceptione institutum. Deinde aliud est ius diuinum, aliud vsus, & tractatio eiusdem. Tertio differt asserere, præceptionem esse diuinam, quod singulis Ecclesijs singuli præficiantur Episcopi, vt vniuersæ Ecclesiæ vnus summus Pontifex, & quod hic aut ille, Petrus, vel Ioannes constituatur. Quibus ita positis, astruimus, neminem ex catholicis ita posse desipere, vt contendat hoc decretum, Episcopos singulos Ecclesijs singulis præficiendos esse, non diuina præceptione cõtineri; quanto magis Catharinus vir alioqui sanè quam eruditissimus, vt hoc nomine, minime esset à quoquam obiurgandus? Quod autem huic Ecclesiæ Paulus, illi præficiatur Ioannes, certe humano, idest Pontificio arbitrio, siue iure disponitur; atque hunc Catharinus sensum, quique ab illo sunt, tractauerunt, & huc etiam pertinere arbitrandum est diuina testimonia, quæ proxime attulimus; quibus constantissimè adhæsere Leo Papa, epist.66. Beda, lib.3. super Lucam, D.Bern. super Cant. ser.58. & de cõsideratione. Ex his quoque perspicuum est, prædictas auctoritates, ac rationes, obtinere quidem ius, ac præceptionem diuinam de institutione Episcoporum suo arbitratu tractare, ac ad vsum Pontifices summos adhibere; eaque ratione improbos eligi posse, quod humano iudicio electio nitatur. Deus igitur per sese Episcoporum potestatem

testatem instituit, eoque auctore eliguntur: Pontifex se ministrum eligendo, consecrandoq; adhibet: quod sanè euidenter ex sacris precibus, ac ritibus, quibus initiantur consecrati Episcopi, dignoscitur. Quam quidem veritatem & iurisperiti attigerunt, vt Barbat. tractatu de Sard. q. 1. Gygas de penn. q. 1. Berous in cap. cum venissent. Postremò D. Anselmus noster, explicans ea verba D. Pauli, nemo sumit sibi honorem, &c. ait: *ad Hebr. 5.* Qui recte, & canonice eligitur, à Deo vocatur: ille sumit honorem apud Deum, & homines, qui per Ecclesiæ procuratores, & viros fideles à Deo vocatur ad hanc prælationem, ita digne, & sincere, tamquam Aaron. Ac ne vllus aut dubitationi, aut dissensioni locus relinquatur, in Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. Anathema decernitur in eos, qui asserunt Hierarchiam ecclesiasticam, quæ constat Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, non esse diuina ordinatione institutam. Quamobrem, quanto se obligent scelere ij, qui aut vi, aut ambitu, aut precio Episcopatum inuadunt, nullis sanè verbis plenè explicari posse videtur. Diuusq; Bernar. non minus copiosè, quam religiose, vt omnia, id asserens ait: Væ vobis, qui tollitis clauem, non scientiæ *Luc. 11.* solum, sed & auctoritatis, nec ipsi introitis, & multipliciter impeditis, quos introducere debuistis: tollitis enim, & non accipitis claues: de quibus Dominus queritur per Prophetam: Ipsi *Osea 8.* regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & ego non vocaui eos. Vnde tantus Prælationis ardor? vnde ambitionis impudentia tanta? vnde tanta vesania præsumptionis humanæ? Itemq; anima perfectior id ministerij sortita sit, non sua ambitione, sed vocata à Deo tamquam Aaron. Ingredi igitur debet quisq; & ascendere non aliunde, hoc est (vt diximus) non vi, quia tyrannus; non ambitu, quia fur est & latro; non pretio, quia mercenarius, sed per ostium, hoc est legitima Christi, suiq; Vicarij institutione.

C A-

CAP. II.

Episcopi auctoritas in quibus per se versetur.



PISCOPORVM auctoritas (vt summatim explicemus) & in vero Christi corpore versatur, & in mystico: in vero quidem, vt est Sacerdos, & Episcopus; in mystico autem, vt est Episcopus tantum. Verumtamen vt Sacerdos, proxime versatur in vero, quoniam consecrandi illud ius habet; vt Episcopus autem, remote, siquidem non illud quidem conficiendi, sed illius instituendi ministros auctoritate pollet. At in mystico vt Episcopus, iurisdictione plena munitus potestatem exercet. Iam vero, vt ea tantummodo tractemus, quæ in Episcopum conueniunt, minimè ignorandum est, has ijs de rebus opiniones ab eruditis constitutas. Quarum vna asserit, simplicem Sacerdotem, neque per se, ac iure suo, neque summi Pontificis concessu, posse minores ordines, chrismaque conferre, ne dum maiores, ac sacros: tum quia in vero Christi corpore tantum versatur; tum quia, vt is, qui sacerdotio non est initiatus, ea, quæ sacerdotis sunt, præstare, etiam concessu summi Pontificis non potest, scilicet sacram Eucharistiam conficere: ita, qui Episcopus non est, ea quæ sunt Episcopi, vendicare sibi nō potest. Ex quo perspicuum est, Sacerdotem simplicē nullo se pacto posse in ordinum collatione, ac chrismatis ingerere. Communis ratio est, quoniam vt sacerdotio quempiam initiare, munus est Episcopi, ita & ceteros conferre ordines, atque chrisma. Quocirca in glos. super cap. Abbates. de priuil. in 6. habetur. Vere Episcopalem non potest habere; scilicet, vt possit chrismare, & alia facere, quæ sunt ordinis Episcopalis, vt est proculdubio ordinum collatio. Alia astruit, Sacerdotē omnia, ac singula quæque (Episcopatu excluso) vt non per se, tamen Pontificis maximi concessione præstare posse. nititur opinio hoc pronuntiato; Pontificem maximum vndiq; expletam,

nullisq; limitibus circumscriptam in Ecclesia Dei potestatem habere, ideoq; eius munere quemlibet id, quo ipse dumtaxat est præditus, alteri impertiri posse. Quare, cõfirmato cõfirmandi; Diacono Diaconũ ordinandi facultatẽ largiri potest, atque adeò Sacerdoti, vt sacerdotium conferat, nedum minores ordines, subdiaconatum, & chrisma. Tertia autem, media est inter has extremas; docet enim delectum esse habendum eorum, quæ ad Episcopum deferuntur. Nam sunt quædam, in quibus absolutam, & omninò perfectam potestatem summus Pontifex obtinet, vt ea, quæ & ad corpus mysticum spectant, & in exteriori tractantur foro; vt sacris interdicere; condonationes, siue indulgentias largiri; litteras dimissorias concedere; insignia certa deferre, quæque sunt generis eiusdem. Quædam autem sunt, quæ corpus quidem mysticum per se attingunt, sed modo quodam; referuntur autem ad corpus Christi verum, & eius materiam: vt est, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. Nonnulla sunt, quæ non in Christi corpore vero proxime, sed remote versantur, quoniam apparatus, & dispositiones ad id conferunt, vt est collatio minorum ordinum, & chrisma; mysticum autem per se, ac proxime attingunt. Quibus ita constitutis, ponendum videtur quod alias probatum est, Pontificem maximum, ac simplicem Sacerdotem, in Christi corpore vero, pari auctoritate versari: in mystico autem summa est ille quidem potestate præditus, hic vt Pontificis largitate, confertur. Et quoniam gratia, quæ sacramentorum vi tribuitur, à capite Christo in mysticum corpus dimanat, eo fit, vt actio omnis sacramentalis (vt loquuntur) qua gratia mystico corpori impertitur, ex ea pendeat actione, quæ in vero Christi corpore proxime versatur; ideoque solus Sacerdos, non autem Diaconus potest à peccatis in secreto foro absoluere, & baptisma, iure sui muneris conferre. Quocirca summus Pontifex, cum maximam, & omninò absolutam facultatẽ mystici corporis habeat, ad ea obeunda munera, quæ non ad verum, sed mysticum corpus pertinent, ius largiendæ potestatis obtinet; vt collatio est minorum ordinum, & chrismatis. Etenim sacrum chrisma homini

mini eam perfectionem tribuit, quæ ad mysticum pertinet corpus, non autē ad verum. Ita minores ordines, nec corpus Christi verum, nec eius materiam attingunt; præparant dumtaxat animos in obsequium consecrationis veri corporis, eiusque cultus; & idcirco potestatis est Pontificiæ facultatem nō alijs, sed Sacerdoti concedere illos consecrandi, quorum facultas proximè in vero Christi corpore non versatur, sed in ministerio, & apparatu consistit. Quamobrem prima sententia, si de eo, quod à Pontifice Maximo fieri potest, loquatur, falsa est; potest enim summus Pontifex, cuius est latissime patens facultas, non modo in mystico Christi corpore, ad quod refertur chrisma, sed etiā in ijs, quæ ad verum, remota quadam ratione, pertinent, vt minores sunt ordines, eamdem Sacerdoti concedere, qui suo iure in vero Christi corpore versatur. Neque quidquam ratio obtinet, quoniam multum differt inter facultatē proxime in Christi corpore vero versantem, & eam, quæ remote refertur ad ipsum. Primam alteri demandare Pontifex non potest: Secundā omnino potest Sacerdoti dumtaxat. Sin autē de eo, quod cuique per se, ac iure suo cōuenit, disserit, non discrepant inter se auctores; nam munus est Episcopalis ordinis chrisma conferre, ordinibusq; initiare. Idque ex glos. cap. Abbates. apertissimè colligitur. Quia verò chrisma & ad corpus mysticum pertinet, & in gradu præstantiori quemquam cōstituit, in ijsque summa est & absoluta Pontificis maximi potestas: minores quoque ordines ad verum quidem corpus referuntur, non proxime, at remote, & vt ministerium exhibent, & apparatum ad eius cultum præbent. Ideoque Pontifex summus sua vndique expleta potestate vtens, potest vtrumque Sacerdoti tantum communicare, non autem id, quod ad verū Christi corpus pertinet proximè, in quo simplici Sacerdoti Pontifex minime præstat. Ratio igitur est ista. Causam si quæris, institutio est diuina, quæ Ecclesiæ sanctæ Apostolica traditione declarata est. Siquidem inde ab initio Christianæ Reip. ac primo tempore ita seruauit, ac potissimum ea D. Gregoriū potestate vsum fuisse legimus. Quidquid enim continuatis temporibus eodem modo ab om-

Conciliatio (margin, beside "sum. Primam alteri demandare…")

nibus ferme Ecclesiæ sanctæ Pontificibus vsu receptū est, traditione Apostolica, institutionem diuinam esse, astruendum est. Secunda opinio prorsus explodenda est, nisi de ijs disputatio sit, quæ (vt diximus) & ad mysticum Christi corpus referuntur regēdū, & in exteriori foro tractātur; quæ ijs quoque, qui clerici non sunt, Pontifex maximus, amplissima sua vtens facultate, deferre potest. Tertia, quæ sancti Doctoris doctrina nititur, amplectenda est, quantum & communior est, & tutior, & non imbecilla ratione probata. Episcoporum igitur, qui singulis Episcopatibus præpositi sunt, potestas est, vt non solum ceteros Ecclesiæ ministros constituant, sed fidelem quoque populum ecclesiastica disciplina regant, & eorum saluti summa cum vigilantia, & cura prospiciant. Itaque perspicuum est, Episcopi tantum facultatem esse, suo iure, ac per se chrisma, & minores ordines conferre; Sacerdotes autem simplices ea quoque præstare summi Pontificis munere, & concessu posse. Atque ad hanc rationem interpretanda sunt & iura omnia, & Concilij sanctiones, & Doctorum sacrorum testimonia.

CAP. III.

De varia Præfectorum Ecclesiæ diuisione.



QVO autem modo, & ratione eiusmodi auctoritas re ipsa concedatur, facilius, si paulò altius repetamus, intelligetur. Sacerdotes simplices, quibus solet Apostolica Sedes priuilegium conferendi minores ordines, atque chrisma concedere, plerūq; nulla sunt dignitate præditi, plerumq; Abbatiæ, siue alia dignitate potiuntur. Ex ijs, alij subiecti locorum ordinarijs sunt, deque eorum Diœcesi, alij ab earum iurisdictione, & Diœcesi exempti. Rursus, ex exemptis alij nullius sunt, alij simpliciter exempti, alij liberi. Item alij proprium territorium, Episcopali omnimoda iurisdictione munitum habent, alij intra fines alicuius Diœcesis consistunt, ac degunt, vtrique ordinarij sunt, &

appellari merentur. Has omnes dissimilitudines colligimus ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 10. nam & Abbates, ac alij simpliciter nominantur, & Abbates, & alij exempti, & per rationem à contrario Abbates, & alij liberi, & Abbates, & alij, intra fines alicuius Diœcesis consistentes; ergo & Abbates, & alij qui intra fines Diœcesis alicuius non consistunt, sed in sua, & Abbates, & alij, qui sunt, vel non sunt nullius. Ex iis igitur (vt ex eodem Cōcilio præscribitur) Abbates, siue alij quicumque tametsi exempti sint, ac nullo medio sanctæ Sedi Apostolicæ subijciantur, ac propterea nullius, modo intra fines alicuius Diœcesis consistant, nec minores ordines, nec litteras dimissorias cōcedere non regularibus queunt, vtcumque Apostolicis priuilegijs, aut antiquissimis consuetudinibus muniti essent. Communis est hæc omnium sententia, quippe quæ Sacri Concilij decretis nititur. Verum enim amplissimi Cardinales interpretandis Sacri Concilij decretis à Pontifice maximo præpositi, declararunt, petitioni Illustrissimi, ac de Christi Ecclesia, cū summa eruditione, ac prudentia, tùm eximia animi pietate, & religione optime meriti Cardinalis Palæotti respondentes: posse Abbates, Sacerdotes Benedicti, quique deferendi mitram, & baculum ius habent, ex facultate eis indulta, & ab Episcopo loci, intra cuius fines siti sunt, & ab Episcopo personæ, quæ initiāda est, tonsuram, & minores ordines non regularibus conferre. Hæc autem declaratio à Philippo amplissimo Cardinali Boncompagno Pontificis maximi Gregorij XIII. auctoritate promulgata est vndecimo Iulij 1572. Qui vero Abbates liberi sūt, propriumq; territorium Episcopali omnimoda iurisdictione munitum extra cuiusque fines habent, atque adeo in propria Diœcesi degunt; ordinarij locorum ac Diœcesani censeri debent, solutiq; hac Sacri Concilij lege esse videtur; tum quia, vt perspicuum est, decretum Sacri Concilij arcet à collatione ordinum, & dimissorijs simplices Abbates, non autem Diœcesanos. Nam id est proprie tale, quod est simpliciter tale. l. hoc legatum. ff. de legat. 3. & quæcumque præceptio, aut vetatio in casu simplici, non comprehendit mixtum, neque ei aptari po-

ri poteſt: Ac præſertim in ijs, quæ odioſa ſunt, vt id eſt, quo de agitur, ratio enim habetur de abrogando iure quæſito. l. vim paſſam. §. præſcriptione. ff. de adultis. d. l. hoc legatum. ff. de leg. 3. ſic eſt facultas conferendi tonſuram, & minores ordines, litteraſq; dimiſſorias concedendi. Quia vero ſimpliciter de Abbatibus in decreto mentio fit; idcirco remanet ratio iuris communis de Abbate Diœceſano omiſſo. l. cauſam diſc. ff. de lib. & poſt. Ac propterea eo decreto prohibetur Abbatibus exiſtentibus intra fines, collatio ordinum, conceſſio litterarum dimiſſoriarum. Igitur vim non habet in ijs, qui proprio territorio iuriſdictione munito continentur. Nam in quibus verba legis non conueniunt, nec legis effectus in his locum habere poteſt. l. 4. §. toties. ff. de damn. infecto. l. quod conſtitutum. ff. de milit. teſt. alioquin abſurdum ſequeretur, duo ſcilicet eſſe in vna Diœceſi capita, quod à ratione abhorret. c. in opibus. 2. q. 1. Cum enim de ijs, qui initiari ordinibus debent, aut dimiſſorias impetrare, accurata ſit habenda ratio naraliũ, eruditionis, ac probitatis, cui hæc magis eſſe perſpecta queunt, quam ordinario ſuo, qui in his aſſiduè verſatur. cap. quoſdam, de præſumptionibus. tum quia ſanctio huius decreti iuri videtur derogare communi, in c. Abbates. de priuileg. in 6. ideoque ſtricte interpretanda eſt, vt, quàm minimum fieri poteſt, ius cõmune labefactet: ſiquidem lex emendatrix accommodari, & transferri in aliam non debet. C. ſi vero. §. de viro. ff. de ſolut. matrim. & lex emendatrix non debet aptari, ſiue extendi (vt loquuntur) niſi in re, ſiue perſona, de qua agitur. l. ſi ſeruum. §. non dixit prætor. de acquir. hered. Ac lex noua generaliter emendans, non transfertur ad res, vel perſonas à veteri lege definitas. l. Sciendum. ff. qui ſatiſd. cogantur. iuxta auth. offeratur. C. de teſta. & legum correctio omnino vitanda eſt. l. præcipimus. C. de appell. etenim quia in c. Abbates. de priuilegijs in 6. præcipue ſancitum eſt, Abbates clericali tonſura eos initiare poſſe, in quos eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalẽ iuriſdictionẽ obtinent, fit vt decretũ Sacri Concilij generali ratione, ac ſimpliciter loquens, minime ius commune corrigat, ſed lo-
cum

cum sibi vēdicabit in postrema parte, cum scilicet facultas ista non iure ordinario, sed præcipuo asserto priuilegio obtinetur, vel vsurpatione. Ideoque in eodem habetur decreto: Non obstantibus priuilegijs quibuscumque. Quibus liquido constat, decretum corrigens tangere dumtaxat priuilegij certi facultate munitos, vel vsurpatores, mittentes manum in messem alienam, non autem eos, qui communi, & ordinario in ijs iure nituntur. His adde, quod cum sacrum Concilium iuri voluit derogare communi, illud quidem plane explicauit, vt cap. 10. de reform. sess. 7: Non liceat Capitulo infra annum litteras dimissorias facere, tam ex iuris communis dispositione, quàm etiam cuiusuis priuilegij, aut consuetudinis vigore hoc decreto de Abbatibus, &c. De iuris communis dispositione nulla fit mentio. In postremum, quod exemptorū eo loco fit correctio. Nūc autem posuimus Abbates esse liberos, ideoque exempti dici non possunt, cum numquam fuerint subiecti; vocabulum enim; exemptio, subiectionem antea in eodem fuisse declarat; l. manumissiones. tit. de iust. & iur. optimaq; ratione illud quidem in exemptis sancitum est, quoniam exemptæ ecclesiæ de Diœcesi esse dicuntur. Abbas in c. graue. de officio ordin. 1. not. vlt. Felin. num. 2. Quamobrem liberi Abbates, quique proprium obtinent territorium, omnimodaq; Ecclesiastica, siue Episcopali iurisdictione munitum, siue Diœcesim, ordinarij, & Diœcesani meritò censentur; potestateq; potiuntur conferendi minores ordines, dimissoriasq; litteras suis, pleno iure, & Episcopali subiectis sibi, proprioque ac suo territorio consistentibus impertiendi. Ac vereor, ne cuiquam hæc multa esse videantur. Ad extremum assero Abbatem sacri monasterij Cauensis horum esse numero habendum, quod & liber est, & proprium obtinet territorium, omnimoda Episcopali iurisdictione munitū, eamq; priuatiue (vt loquuntur) ad omnes, & Archiepiscopos, & Episcopos, vt verus Diœcesanus, & ordinarius, & semper exercuit, & habuit ex primo suo statu, vt ex Vrbani II. Pontificis maximi litteris manifestum est, constituentis Cœnobium caput omnium Ecclesiarum sibi pleno iure subiectarum. Nam

cum Episcopus Cauensis incredibilibus fere modis sacri illius Cauẽsis Cœnobij Abbatem, & monachos, vt ad publicas pergerent processiones, vexaret, specie cap. Sacri Concil. Triden. exempti autem omnes; etiam monachi ad publicas processiones accedere compellantur. Cum res diu multumq; in Romana curia apud amplissimos Patres Cardinales, sacri Concilij interpretationi præsidentes, vtrisq; partibus auditis, agitata esset, tale illi quidem decretum edixerunt. Congregatio generalis Concilij Tridentini censuit, non posse ad processiones publicas euocari hos monachos, tũ quia nullius, tum quia non possunt dici exempti, quia numquam fuere subditi, tum propter pactum speciale confirmatũ à Sede Apostolica. Quod non tollitur. c. 22. de regularibus. De eodem quoque ijdem amplissimi Patres Pont. Max. Sixto V. retulerunt ex authenticis scripturis, coram Illustrissima Congregatione præsentatis, liquido constare, Abbatem Cauensem esse nullius, omnimodam iurisdictionem Episcopalem habere, ac proprium territorium, idest Diœcesim, quæ sane nihil est aliud, quàm loci spacium iurisdictione munitum. l. pupillus. §. territorium. tit. de verb. signif. Feli. in c. Rodulfus num. 15. de rescript. Cum vero Diœcesis proprie sit iurisdictio Episcopi, vel alterius Prælati iurisdictionem Episcopalem exercentis, Abb. & glos. in Clem. 1. de vita, & honest. cleric. ne disputandum quidem est, Abbatem Cauensem Diœcesim habere, & Diœcesanum verum censeri. Felin. ibidem 2 limi. Glos. in d. Clem. 1. de foro competenti. in verbo, Diœcesanus. ideoque omnia illa, quæ Concilium sacrũ ordinarijs locorum facienda committit, vt Sedis Apostolicæ delegatis, non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, Abbati Cauensi commissa censentur in oppidis, Castris, & Ecclesijs, sibi, ac monasterio subiectis, vt quibus locis iure ordinario propter exemptionem, aut priuilegium ius exercere nequiret, id vt delegatus præstare posset. Fel. in c. cum ex officij. nu. 20. in fin. extra de præscript. Quamobrem asseruerunt amplissimi Domini Cardinales prædicti, priuilegia eidem à summis Pontificibus concessa, ab ipsisq; accurate, ac diligenter examinata,

ta,

ta, atque perpensa, nihil, quod cum decretis Sacri Concil. Tridenr. pugnet, continere. Quocirca idem Sanctissimus Dominus Sixtus V. ac successor D. Greg. XIV. hæc ipsa omnia priuilegio suo inseruerunt, & astruxerunt; declararuntq; præterea, eundẽ Abbatem Cauensem facultatem habere congregandi Synodum, conferendi chrisma, concursum instituendi, exequendi litteras Apostolicas tam gratiæ, quàm iustitiæ, etiam in matrimonij causis. Eadem est sacri Casinensis amplissimi Abbatis ratio, vt non præstantior, tamen maior; quippe qui omnibus, & Vrbis, & Orbis Abbatibus præcellit, & ampliorem iurisdictionem obtinet. Hæc autem tunc rata esse volo, cum sanctæ Ecclesiæ iudicio, & amplissimorum Cardinalium sententiæ probata erunt.

CAP. IV.

De definitione potestatum Iurisdictionis.



MISSA facultate illa quidem, quæ (vt sæpius diximus) in vero Christi corpore versatur, eam nunc tractemus, quæ iurisdictionis appellatur, quæ mystici tantum rationem habet. Hæc autem duplex est, altera secreti fori, siue animi, altera extrinseci fori, & contentiosi. Ac prima eorum tantum est, qui sacerdotio initiati sunt, ac præterea populum subiectum habent. Altera etiam non sacerdotibus conuenire potest; populum tamen requirit, qui imperio parere, & obedire debeat. Vtraque aut ordinaria est, aut delegata. Auctoritas illa ordinaria censenda, & appellanda est, quæ proprio suo, aut dignitatis, aut muneris iure nititur; Delegata vero est, quæ non per se, ac iure suo cuiq; permittitur, sed concessione alterius continetur. Ac de secreti fori auctoritate aliàs. Nunc considerandum est de ea, quæ iurisdictionis, extrinseciq; fori appellata est. Et quoniam (vt diximus) vnumquodque proprio suo munere, ac vi efficiendi definitum est; magistratus autem

cuiusque

cuiusq; officium hoc vno potissimum continetur, vt ea legum ratione imperet eis, qui parere debent, quo finem suum, ac proprium consequantur. Idcirco auctoritas iurisdictionis facultas est alicuius, proprio iure, aut alterius concessu constituta, rectis legibus constituendi, ac dirigendi ad proprium finem eos, qui suo imperio subijciũtur. Ex qua sane definitione facile est singulorum accipere rationes. Nam Pontificis maximi auctoritas est facultas, Christianũ cœtum vniuersum diuinis legibus, suo, & à Christo Domino, ac legitima ordinatione sibi tributo plenissimo iure gubernandi, ad æternitatemq; dirigendi. Omnes sanè in hac ipsa rectæ definitionis leges seruantur; quod nihil redundat, neque quidquam minus explicatum continet. Est in ea genus, facultas, cetera differentiæ loco sunt posita. Explicatur materia subiecta vocabulo, cœtum, forma, diuinis legibus, efficiens, à Christo Domino, finis, instituẽdi, ad æternitatemq; dirigendi. Audiamus D. Ber. singulas ferè definitionis partes astruentem. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum Pastores, habent illi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti: vni vnus, nec modo ouium, sed pastorũ, tu vnius omniũ pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic indiscrete, sic absolute totæ commissæ sunt oues? si me amas Petre, pasce oues meas; quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut Regionis, aut certi Regni? oues meas, inquit. Cui nõ planũ, nõ designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, vbi distinguitur nihil; & forte præsentes & cet. vsque ibi: En quis es. De auctoritate Episcoporum agamus, quorum vno nomine eos omnes intelligi volumus, qui Episcopali sunt auctoritate præditi, vt Patriarchæ, id est primi supremiq; Patres. Archiepiscopi, quique ab Episcopis non genere, & ordinatione, sed gradu, & amplitudine potestatis, ac loci differunt, quod latius deinde tractabimus. Auctoritas autem istorum, facultas est, cœtũ Christianum pro rata portione eis subiectum, Christi legibus, ecclesiasticisq; sanctionibus, & à Christo Domino, ac legitima ordinatione, pleno, ac suo iure accepto, gubernandi, ad æterni-

De consid.

Io. 21.

tatemq; dirigendi. Hæc in eos quoque omnes conuenit magistratus Ecclesiasticos, qui vt non Episcopi, sunt tamen Episcopali iurisdictione muniti. Veniamus ad nostros. Abbatum auctoritas facultas est, monachos sibi subiectos Christi legibus, almiq; Patris Benedicti, ac Patrum institutis, pleno iure, ac suo, legitima ordinatione suscepto, gubernandi, ad æternitatemq; dirigendi. eademq; aptanda est ceterarum familiarum præpositis, ea dumtaxat ratione variata, vt Dominicanis, Franciscanisq; institutis, & quæ sunt eiusdem generis, definitio declaretur. Idemque faciendum est, cum de auctoritate delegata agetur, hoc variantes, vt pro iure suo, dicatur iure sibi commisso à tali, vel tali &c, in quo auctoritas existit ordinaria. Probitatem nunc explicemus.

CAP. V.

Quæ requiratur virtus in Ecclesiasticis Magistratibus.



CCLESIASTICI pastoris vita ea est ratione instituenda, vt omnibus officiorum muneribus absoluta, atque perfecta, nullis reprehensionibus sit obnoxia. Quod quidem Apostolus docuit, ad Titum, & Timotheum scribens: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed vt latius in hac causa versemur, varias afferamus sententias oportet. Putant enim nõnulli, satis esse, vt quisque pastoris egregie munera præstet, si ijs virtutibus animus eius excolatur, quibus fideles omnes præditos esse opus est. Nam Apostolus, quæ vitanda esse Episcopis vitia præscribit, omnibus sunt fidelibus fugienda; & quas colendas virtutes pastoribus inculcat, eas quoque ceteris persequendas constituit. Quocirca & D. Chrysostomus verba Apostoli explicans idipsum aptissime docet: Qui ignorat rectam, sanamq; doctrinã, vt oportuerit, tradere, longe à Sede Episcopali arceatur; nam alia quidem & in subditis inuenire facile est, puta, esse sine crimine, filios

1. ad Tit. 1. ad Tim. 3.

filios habere ſubiectos, hoſpitalem eſſe, iuſtum, & ſanctum, &c. ceterum hoc eſt, quod maxime Doctorē exprimit; ſcilicet, verbis inſtruere, & confutare aduerſarios, cuius rei nullam ferme nunc curam haberi videmus, atque ingemiſcimus. hactenus ille. Quidam verò in ea ſunt ſententia, vt aſſerant, multum intereſſe inter eas virtutes, quibus eſſe præditos Eccleſiæ magiſtratus neceſſe eſt, & eas, quas ceteros ſequi oportet. Ait enim D. Gregorius: Tanto debet populi actionem actio traſcendere Præſulis, quāto diſtare ſolet à grege vita paſtoris. Eo pertinet, quod ab ijs etiā, qui religionis ſe vinculis aſtrinxere, exigitur, vt ad perfectionem dumtaxat pergant: Epiſcopi vero in perfectionis ſtatu conſtituti ſunt, ideoq; ſelectis fidelium generibus, hoc eſt religioſis, virtute præſtantiores eſſe oportet. Quis enim ignorat excellentiorem Ducis eſſe virtutem, quàm militis? & paſtoris, quàm pecudum? Sed vt eos ad conſenſionem reuocemus; ſtatuo cuiuſq; rei perfectionem in eo poſitam eſſe, vt ſuo principio copuletur; hoc autem ipſius rei actio præſtat, qua ſuū quiſque proprium finem conſequitur; idem autem ſemper finis eſt, atque principiū: nihil verò abeſt ab eo, quod ſuo, proprioq; fine potitur, itaque perfectum eſt; ac propterea in cōſecutione finis rerum perfectio, & abſolutio cernitur. Hæc autem duplex eſt, vna, quæ ad rei naturam, eſſentiamq; pertinet, id eſt ea, ſine qua comparari finis omninò non poſſit; altera, ſine qua omninò poſſit, commode tamen, ac ita facile non poſſit. Ac perfectio quidem Chriſtiana ad eius pertinens vim, & naturam, præceptorum Dei cultu continetur: quare Dominus: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Altera vero, quæ in faciliori finis adeptione cernitur, in Chriſti Domini conſilijs ſeruandis conſtituta eſt. Quocirca adoleſcēti euangelico dictum fuit, ſi vis perfectus eſſe, &c. Siquidē iſtis ea, quæ Chriſtianæ perfectioni obſtare quoquo pacto videntur, remouentur, carnis voluptas, illecebræque, continentia: ſenſus proprius, ac pertinax obediētia; opum, ac honoris ſollicita cupiditas; paupertate ad æternitatē igitur explicatus eſt curſus ſtudio diuinorum præceptorum, & maximè expeditus, ac liber, ſeruato conſiliorum euangelico-

Matth. 19.

Ibidem.

rum officio. Pastorum igitur ecclesiasticorum vitæ ratio in perfectione sita est, primum essentiali(vt loquuntur) quæ quidem omnibus est, qui nomen Christo dederunt, communis, ac sine qua quisquis magistratum ecclesiasticum inierit, parum abest, quin mortifera noxa teneatur. Deinde accidentali, id est, continentia ex sacerdotij ratione, obedientia, quam in sua consecratione summo promittit Pontifici: paupertate, hoc sensu, vt omnia referat in Deum, non autem quod omnino opũ dominium à se abdicet: multum enim interest inter eam perfectionem, ad quam religiosi ex voto progredi tenentur, & eam, in qua constituti sunt Episcopi: isti perficientes, illi perficiendi sunt. Quãtum igitur differt ab actione perpessio, tantum est discriminis eius, quæ in Episcopo constituitur perfectio, & in ceteris. Cum verò longe sit semper agens patiente præstantius, excellentior quoque in Episcopo vtraq; perfectio esse debet. Quamobrem

Conciliatio consentiant inter se duæ illæ sententiæ necesse est, quoniam vtraque perfectione Episcopos elucere, vt ceteros, oportet; idq; primo loco constitutæ auctoritates egregie cõcludunt; verumtamen ratio, ac gradus ipsorum, atque ceterorum longe dispar; ideoq; fere non eadem recti officij perfectione sunt præditi. Vt enim probi viri, ac ciuis officio quis fungitur, si moralium virtutum præclara actione eluceat: Principis autem munus digne haud præstabit, si heroica præterea virtute non excellat: ita Christiani, ac religiosi hominis præclara ratio constat, diuinis præceptionibus, & consilijs seruatis; sed excellentior modus, ac ratio in Episcopo desiderantur. Nam vt heroica virtus præstantia est ciuilium virtutum, ita Episcopalis probitas est excellentia Christiani. Cum enim ex omni hominum genere nullum ad Dei similitudinem propius accedat, atque ij, qui publicos magistratus, ac potissimum Ecclesiæ gerunt, quoniam

Exod. 22. dij sacris in litteris appellantur, eoque pertinet illud: Dijs non detrahes(non licere scilicet maledictis insectari eos, qui imperandi auctoritate pollent, quæ sane proprie in Deum cadit) necesse est eos non qualibet officij recti perfectione excellere, sed propemodum diuina. Erigit se virtus heroica(vt Arist. docet,

cet,

cet)vt non tantum suos animi turbidos motus regat,sed etiam placidissime componat,ad præstantioremq; finē ducat. Effert se Episcopalis virtus, vt nō modo suos rationi aduersos motus moderetur,ac sedet, quin subiectorum quoque mores ad diuinam legem honestatis,ac pietatis conformet,ad æternitatemq; eorum animos incitet. Hinc charitas, qua incensi Episcoporū animi esse debent,nō quolibet gradu feruere præscribitur, sed summo,ac singulari;quippe quæ requirit,vt tantus sit pastoris ardor,vt necem quoque subire non vereatur, ne gregis suæ fidei crediti cladem aliquam lupi moliantur. Nulla verò charitatis actio tanta est,vt contendere cum ea possit, qua quisque mortem substinet,vt gregem suum tueatur. Maiorem hac dilectionem (ait Dominus) nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. ideoque hanc à Petro Dominus exegit dicens: Petre amas me?nimirum quod pastoris munus illi committendum prorsus non est,cuius animus singulari charitate non ardeat. Vinculum enim sanæ perfectionis esse à D. Apostolo statuitur, quoniam nullo sunt vsui absque illa virtutes ceteræ,quæ animum perficere videntur;neque ad optimum, ac summum bonum quidquam conferunt;sed dissipatæ,ac dissolutæ,vacantesq; omni robore iacent, vt P. Anselmus eo loco differit. Hac igitur primum virtute diuina,ne dum heroica, quoniam à Deo tribuitur, in Deo versatur, ad Deum diuino modo refertur,ac diuinos effecit,præditos ecclesiasticos esse magistratus opus est.Quòd longe maior in eis virtus desideratur,quam quanta pleriq; præditi sunt. Quocirca D. Chrysost. in c.3.Epistolæ 1. ad Tim. ait sic: Qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar solis ceteros, velut stellarum igniculos in suo fulgure obscuret; atque huc pertinere postremæ rationes videntur,itaque nulla reliqua est dissensio.

Io. 10. *Ibidem.* *ad Colos. 3.*



Liber Quartus.

CAP. I.

De ceteris Ecclesiastici Magistratus virtutibus.



VIA virili,ac forti ratione conclusum est,eandem esse Ecclesiastici magistratus virtutem, atque ceterorum, modum, ac rationem non eandem;quodq;præstanti,omnincq; singulari charitate eum excellere oportet; modo reliqua virtutis officia persequamur, sine quibus munus eiusdem præclare constare nullo modo potest. docet Apostolus, Episcopum,siue dicas ecclesiasticum magistratum,
ad Hebr. 7. sanctitate præditum esse debere. Talis(ait) decebat, vt nobis esset Pontifex,sanctus,innocens,impollutus, segregatus à peccatoribus,&c,Sanctitas autē virtus est religionis eximia, quæ mentem nostram ab omni de diuinis prauo sensu liberam, ac voluntatem omni vitiorum labe purgatam,castam,& sine macula Deo offert, easque; & vires earum omnes illi consecrat. Itaque munus eius,vt sancti, in primis est,recte,& catholice de Deo,ijsq; rebus,quæ ad eum pertinent,sentire, sanctorum Patrum,Romanæq;Ecclesiæ decreta complecti,ac tueri,nullis rebus nouis, etiam religionis, ac pietatis specie vestitis studere,
1.Tim.5. amplectiq;(vt Apostoli verbis præscribitur) sermonem fidelē, qui est secundum doctrinam profectò maiorum nostrorum. Nulla igitur in eo hæresis, quin ne leuis quidem eiusdem suspicio hæreat. Altera functio in voluntate sita est, illisq; tribus vocabulis declaratur,Innocens,quoniam nullum debet proximo detrimentum inferre, aut existimationis, aut personæ,aut rerum.Impollutus,quod nullis prauæ voluptatis,ac vitij sordibus seipsum deturpet.Segregatus à peccatoribus, qui quidem ab omni prauorum, ac perditorum hominum, atque adeo assentatorum,mulierum, adolescentulorum conuictu, consuetudine,familiaritate abhorreat, ne offēdiculum subiectis pareat.

Si enim domũ Cæsaris non crimine solum, sed eius suspicione carere debere dictum est, quid domus Episcoporum? Reliquæ sunt duæ sanctitatis præclarißimæ soboles, oratio, & deuotio, quarum altera in Dei familiaritatem, atque amplexus inducit, subiectisq́; opem salutarem diuinam procurat. Altera animum suaui quadam, ac ferè incredibili iucunditate complens, ipsum promptum, & alacrem reddit ad omnia, quæ Dei cultus requirit. Hanc igitur sanctitatem, siue religionem tam præclaram virtutem præstantissima ratione Episcopos, ceterosque Præpositos complecti necesse est. Quare D. Bernardus, pascere exemplo conuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis, maior horum est oratio. Atque ob eam rem sequitur: & excelsior cælis factus. Quia Pontifex Christus cælum conscendens, pro grege suo interpellat. Alia virtus, qua ipsos florere oportet, humilitas est Christiana, siue quod fere idem, modestia, sacris oraculis attestantibus: Rectorem te posuerunt? noli extolli, sed esto inter illos, quasi vnus ex illis. *Ecclef. 31.* Hæc autem animi est demissio, modeste, & summisse de se, suisq́; rebus sentientis, in Deumq́, omnia referentis; ita vt hic summissus humilisq́; sensus, in incessu quoque, in aspectu, in gestu, in sermone, in vestitu, in congressu, in esculentis, & poculentis, in famulis, & aulicis, ceteraq́; alia supellectili, ac re externa eluceat. Verumtamen caueat, ne humilitatis specie deceptus id complectatur extremum, vt sordidus, & abiectus incedat, quin potius summopere modum, ac decorum seruet suæ dignitatis, vsum regionis, ac loci, & eorum, quæ sunt eiusdem generis, cum quibus vera humilitas profecto constat. Commendauit hanc Christus Apostolis virtutem, eiusque successoribus de Principatu contendentibus. Qui maior est in vobis, fiat minor. Quare & D. Petrus Episcopos instruens ait, non dominantes in clero. *Math.* *1. Pet. 5.* Egregie autem D. Bern. ab almifico Patriarcha nostro instructus docet: Prælati prodesse magis studeant, quàm præesse. Ac de Saule legitur, cũ esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus factus es. *1. Reg. 15.* De Dauide quoque in eandem sententiam habes, Noli respicere vultum eius, &c. quia ego abieci eum. *1. Reg. 16.* Ratio enim inde

ab

ab initio est vetustissima in domo Dei, vt qui se humiliat, exaltetur, & contra. Ac fastus quidem, & tumor, nimiusq; rerum
Luc. 14. extrinsecarum splendor, ne dum animi sensus elatus, ad tyrannidem spectat, non ad patris rationem, quam præsidis ecclesiastici tueri debent. Huc pertinet, quod animorum curam gerere, res est grauissimi oneris, muneris laboriosissimi, quod sustinere vix Angeli ipsi queant: quid homines terrestri inclusi domi-
In Regula cilio? Pater noster D. Benedictus ait: Sciat, quam difficilem, & arduam rem suscipiat, regere animas, & multorum seruire moribus, nobilium, ignobilium, locupletum, inopum, peritorum, imperitorum, proborum, improborum, virginum, viduarum, senum, iuuenum; & quæ sunt eiusdem generis. & ob eam causam Nazianzenus ait: Re vera, mihi videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere, qui certe est inter omnes animantes maxime & moribus varius, & voluntate diuersus. Si igitur vix, aut ne vix quidem quisquam hominum tanti esse potest, vt per se ad eiusmodi munus digne obeundum par sit, certe diuina ope omnino opus est; ea autem nemo nisi hu-
1. Pet. 5. milis potitur: Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Humilitati ergo est summa ope Ecclesiæ præsidibus studendum. Iam vero duæ reliquæ sunt, quæ proprie Pastoris munus attingunt, lenitas, & seueritas; quoniam has, quasi habenas moderandi, regendiq; subiectos tenere eos necesse est. Cum enim sint, qui & sancte viuant, officia seruent, præceptis parcant, labuntur tamen, aut errore plerumque, aut imbecillitate, vt facile resipiscant. Contra autem sint alij facinorosi, & nefarij, qui libidinibus omnia polluāt, cædibus vexēt, fraudent, rapiant, peierent, maiorum, ac Dei legem negligant. Præsidem vtraque pollere opus est virtute; sunt namque ita connexæ, vt altera sine altera esse nequeat. Nemo enim habens in familia probum, sed imprudenter ab honesto aberrantem, non prauitate; ac improbum proposito malo; aut ambos lenitate complectitur, aut ambos seueritate coercet. Quod si faciet, & iniquus, & stultus est; sed probum amice, ac leniter corrigit, beneficijs, & laudibus reuocat; improbum seuere obiurgat, pœnisq;

nisque afficit, vt & hic exemplo ceteris sit ad non peccandum, & ille ad promerendum, vt alios metus coerceat, alios honor prouocet. Atque in hanc rem nihil potest afferri præclarius, quam quod legislator noster præscribit: In doctrina sua Abbas apostolicam debet illam semper formam seruare, qua dicit: Argue, obsecra, increpa; id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos, & inquietos debet durius arguere; obedientes autem, & mites, vt in melius proficiant, obsecrare. Itemque alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus regat. Hinc vulneribus sauciati (vt in Euangelio narratur) prius Samaritanus vinum infudit, & oleum. Habet medicus peritus acriora, habet & leniora remedia. Ducit, & reducit oues pastor tibia, & vnco. In quam sententiam præclare docuit S. Bern. Audiāt Prælati, qui sibi commissis volunt esse formidini, vtilitati raro; discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quàm timeri, et si interdum seueritate opus est, paterna sit, nō tyrannica; matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis: mansuescite, ponite seueritatem, suspēdite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typo turgeant. Sed de his nimis multa à multis. Nos aliam virtutē Ecclesiasticis magistratibus apprime necessariam ostendamus, munificentiam. Pastores sunt: igitur eam tenere formam debent, qua Deum vsum, quin & vti, & vsurum Vates cecinit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Turpissimum enim est, eos ita animorum curam gerere, vt corpus negligant, cum pane quoque subiectos pascere astringantur. Quis enim est pater, qui filios fame necari patiatur, ac non potius, vt incolumes sint, omni ope nitatur? Hinc legimus sanctos Episcopos eam egentium, viduarū, pupillorum, monialium, ægrotorum, xenodochiorum, ceterarumq; miserabilium personarum curam suscepisse, vt singula eorum nomina in codice descripta haberent, vt ferendæ opis varias rationes certò scirent. Quid enim magis est à Christiana pietate remotum, quam vt Episcopi (ait Hugo) domos non

2. Tim. 4. *In Regula* *Luc. 10.* *Super cāt.* *Psal. 22.*

impares Ecclesijs magnitudine cõstruāt, pictos delectētur habere thalamos, vestiātur ibi imagines pretiosis colorū indumētis, pauper autem sine vestibus incedat, & vacuo ventre clamet ad ostium; & vt verum fatear, spoliantur pauperes sæpe, vt vestiantur lapides, & ligna; ornant prætoria columnis, fores domibus anteponunt, quæ vtinam pauperes includerent, non excluderēt. D. autem Bernardus egregiè hoc vitium perstringit, dicens: Clamat penuria pauperum, clamant nudi, clamant famelici, dicite Pontifices quid facit in freno aurum? numquid aurum à freno repellit frigus, siue esuriem? nobis fame, & frigore miserabiliter laborantibus, quid cōferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? nostrū est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur; quod inaniter expēditis, & cetera quæ ibi sequuntur. Quibus vsum nimium, immoderatumq; condemnasse, intelligendum est, non decori dignitatis, ac personæ interdixisse; ideoq; canonicæ sanctiones seuere admodum constituerunt, certam fructuum ecclesiasticorum portionem miserijs egentium subleuandis, pietatisq; officijs exercendis impendendam esse. Atque de his latius deinceps agemus.

CAP. II.

An liceat magistratum Ecclesiasticum appetetere.



QVONIAM autem & ea, quæ modo diximus a institutionis gratia dicta sunt, & de ijs controuersiæ agitantur; initium sumendum est ab ea quæstione, qua, an liceat Ecclesiasticum magistratum appetere, inter nonnullos differitur. Ac primum, qui aiunt, ita se ad disputandum comparant: Eo est appetitio honestior, ac laudabilior, quo est bonum, quod expetitur, præclarius ac perfectius; at rempublicam capessere & gubernare maius quoddā & præstantius est bonū, præclarè enim (ait Philosophus) se res habet, si vni eiq; in sollicitudine vitam agenti

in 7. lib. cap. 10.

agenti consulatur; at verò si genti,& ciuitatibus,multo & pulchrius, ac diuinius: igitur non modo licet magistratum expetere, sed summa est cum virtute coniunctum, eoque magis in magistratu ecclesiastico, qui in animi perfecta curatione, æternitatisq; adeptione plena versatur. ideoque D. Apostolus appetitionem eiusmodi & bonorum numero ducit, & actuosum bonū esse sincere censet. Fidelis (inquit) sermo. Qui Episcopatum desiderat, bonū opus desiderat. His adde, quod Romanus orator dixit: Nihil est principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cœtusq; hominum iure consociati, quæ Ciuitates appellantur, harum Rectores, ac Gubernatores: Diuinam vero gratiam, ac beneuolentiam conciliare sibi, atque adeo egregiam, maxime expetendam esse videatur; igitur licet cuique ecclesiastica imperia expetere. Deinde obtinuimus antea, Episcoporum perfectionem longe excellentiorem esse ea, quæ est religiosorum; cupiditate autem teneri vitæ ac religiosæ perfectionis tantum abest, vt vitij loco ponatur, vt eximiæ potius laudis, ac meriti esse existimetur: ex quo perspicuum est, Episcopatus appetitionem maximo virtutis decore dignissimam esse. Postremò, nisi imperij ecclesiastici cupiditas virtutis studio eluceret, ad eam sancti viri minime se comparassent, promptosq; exhibuissent, quippe qui illicitum omne semper auersari solent; aitque vates Isaias: Ecce ego, mitte me; paratum se ad publici magistratus obeunda munera, ac diuinam veritatem euulgandam offerens. Non ergo vitio danda est cupido Episcopatus, siue alterius magistratus ineundi, atque gerendi. Qui autem negāt, auctoritate potissimum, D. Augustini nituntur, dicentis, locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi administretur, vt decet; tamen indecenter appetitur. D. autem Bern. acerrimè in eos. Vnde tantus ardor prælationis? vnde ambitionis impudentia tanta? vnde vesania præsumptionis humanæ? D. autē Ambrosius præclare dixit: Aerugo mētis est, appetentia dignitatum, itaque ambitio, futile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, tinea san-

1. Tim. 3.

Esa. 6.

17. de Ciuit.

ctitatis,excæcatio cordium,ex remedijs morbos creans,ex medicina languorem generans; discedit igitur à virtute plurimũ cupiditas ecclesiastici magistratus. Sunt ergo vtrinque mometa paria rationum. Hinc & Epicurus (vt Seneca de beata vita refert) dixit: Non accedat vir sapiens ad Remp. nisi aliquid interuenerit. Zeno autem asseruit, accedat sapiens ad Remp. nisi aliquid impedierit. Quamobrem duplex est ad concentus rationem distinctio afferenda; vna est rerum, quæ in magistratu insunt; altera est, finis, quem sibi homines in eo capescẽdo proponunt. In magistratu primum inest præclara functio, versatur enim in actione, quæ quidem in eo quo de agimus, est Christiani populi cura. Quocirca Christus Dominus, pasce (ait) oues meas. Deinde est summus gradus, ac dignitatis præ ceteris amplitudo præclara. Fidelis (inquit) seruus, quem constituit Dominus super familiam suam. Postremò consequitur hoc munus, honor, & obseruantia, opumq; magna copia. Docet Apostolus: Qui bene præsunt presbyteri, duplici sunt honore digni; siquidem vt magno sunt loco apud Deum, ita apud homines maximi ducuntur. Ex his perspici potest, functionem illam quidem præclari esse muneris, excellentisq; laudis merito dignissimam, ideoq; cadere sub rectam appetitionem potest, vt primo loco auctoritates, ac rationes concludebant: opulentiam verò ex eo quærere cupiditatis est sordidæ; opes enim ad subleuandam præsentis temporis necessitatem subsidio sunt, non ad animorum curam exercendam. Itaque appetitio eiusmodi peruersa est, vendicans vt finem id, quod non est finis, sed ad finem institutum est. Hos acerbè obiurgauit Christus Dominus: amant primos accubitus, &c. Idemque de honoris, & obseruãtiæ amplitudine statuendum est. Quoniam non æquo velle iure esse cum ijs, qui natura sunt pares, vitio vertit Dominus in Euangelio: Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic: sed qui maior esse inter vos voluerit, sit tãquam minister. Arrogantiæ igitur est vitium, ceteris præesse velle. Atque ad hanc rationem referenda sunt vltimo loco testimonia, & argumenta conclusa. Sed rem hanc totam egregiè

Io. 21.
Matt. 24.
ad Tim. 5.
Matt. 23.
Matt. 10.

complectitur præclarus Doctor Hugo cum dicit: Sunt quidã, qui sciunt, & possunt, & volunt præesse. Quidam qui sciunt, & possunt, nec volunt. Quidam, qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt. Quidam nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire, posse, & velle, charitatis est, vel superbiæ. scire, posse, & nolle, humilitatis est, vel inertiæ. Nec scire, nec posse, sed velle cupiditatis est, & stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle discretionis est, & prouidentiæ. Qui enim sciunt, & possunt, & volunt præesse, si velint prodesse, charitatis est, & prouidentiæ, alioquin superbiæ. Qui sciunt, possunt, & nolunt, humilitatis, quod renuunt; inertiæ vero cum sciant, quod omnino desistant. Qui autem nec sciunt, nec possunt, sed volunt, cupiditatis videtur, quod volunt; stultitiæ si velint; quod nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudẽter agunt. Summa ergo discretio est: nolle quod non potes, fugere quod nescis. Quamobrẽ perspici ex his potest, vitio ne, an virtuti adscribi eiusmodi appetitio debeat. Sequitur ea disputatio, qua in ambiguo ponitur, sitne plerumq; mortiferum peccatum? Quæ tamen breuibus ita absolui potest. Id quod potissimum in exitialis criminis constituenda ratione spectandum est, animi est propositum. Nam vt erudite, ac pie admodum docet D. Bern. si eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, vt huic vitæ habeat necessaria, euangelizet, vt manducet, & pernicioso nimis ordine cælestibus terrena mercatur. Et paulò post: Vniuersos siquidem in ordinibus ecclesiasticos, ceterisq; ad sanctuarium pertinẽtibus honorem quærentes proprium, aut diuitias, seu corporis voluptates, postremo quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, manifeste prorsus, & indubitanter non ea, quæ Deus est, charitas, sed aliena à Deo, & omnium radix malorum cupiditas introduxit. Peruersio autem diuinitus instituti ordinis, violatio diuinæ charitatis, mortiferum peccatum est. Huc quoque spectat quod mox adiungit: Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumit: tu irreuerenter irruis, nec vocatus, nec introductus; trahe me post te (ait illa) curremus in odorem vnguentorum tuorum; nunc au- Cant. I.

tem

tem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum existimant pietatem, quorum damnatio iuxta est; damnatio autem sine exitiali noxa nō infertur. Honorem igitur, sicut opes sibi potissimum in Ecclesiastico magistratu proponere, in ijsq; finem constituere, manifestum proculdubio peccatum est; sed si, vt idem ex sanctissimi Patriarchæ Benedicti doctrina asserit, Dei honorem, & proximorū salutē tantū, aut præcipue quis expectat, aut vtrumque, studens magis prodesse, quam præesse, hoc agens implebit non solum officium Pontificis, sed etymologiam nominis, pontem vtique faciens inter Deum, & proximum, &c. Curādum tamen est, ne leuiter, & imprudenter magistratus expetatur, tametsi quis prodesse potius, quàm præesse proponit, si quidem arrogantiæ, ac temeritatis vitium esse videatur, tam arduæ prouinciæ, quemquam se parem arbitrari: vt etsi mortifera noxa absit, culpa profectò non absit, quod succumbendi periculo se exponit. Atque ad hāc rationem pertinere cēsendū est, quod D. Bern. docet: Considero gradum, & casum vereor: cōsidero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi iacentis deorsum: attendo celsitudinem honoris, & è vicino formido periculū. Ac postremo D. Gregorius docet: Quisquis non ad elationis culpam, sed ad vtilitatem idipsum desiderat, prius vires suas cum eo quidem subiturus onere metiatur, & vt impar abstineat, & ad id cum metu, cui se sufficere existimat, accedat.

In Epistola ad Henricum Senon. Episcop.

CAP. III.

An liceat recusare.



ESTO, nemini licere magistratum in Ecclesia aut propria auctoritate vendicare, aut arroganti ambitione expetere; numquid fas est, impositum, aut delatum ab alijs munus recusare? Non desunt qui affirmant. Nam amor aduersus Dei

præsta-

præstabilior est amore proximi, præstabiliora autem semper præferenda sunt: cum igitur contemplatio in Dei versetur amore, actio aut, ac præsertim Ecclesiastici magistratus in proximi salute curanda cernatur; perspicuum est licere seipsum in diuinorum contemplationem abdere, commissumq; præsidis munus, ac functionem repudiare, quippe cum maioris & tranquillitatis, & meriti contemplatio esse videatur. Quocirca Christus Dominus: Maria (ait) optimam partẽ elegit. Huc etiam illud D. Hieronymi afferri solet, quod D. Marcus, ne ad sacerdotiũ adsciscceretur, præcidisse sibi pollicem fertur: Ex quibus perspici potest, fas esse vtique, demãdatum Ecclesiasticum magistratum reijcere. Id autẽ plerique, ac fere omnes negant, testimonio D. Hieron. asserentis, si dilectionis testimonium est cura pastoralis, quisquis virtutibus pollens gregem Domini pascere renuit, Summum Pastorem conuincitur nõ amare. Itemque sicut toto desiderio debemus occupationẽ fugere, ita si desit, qui præsideat, occupationis onus libenti necesse est animo subire: fas autem non est recusare, quod diuina dilectio exigit, quod necessitas charitatis imponit. Quamobrem aditum ad hanc veritatem D. Bernar. aperuisse videri potest, cum ait: Optimam partem elegit Maria, licet non minoris fortasse sit meriti apud Deum humilis conuersatio Marthæ; sed de electione Maria laudatur, quoniã illa quidem omnino quod ad nos spectat eligẽda, hæc vero si iniungatur, patienter toleranda. Sed tamẽ accuratius in eius explicatione versandum est. Ac primum recusatio magistratus, aut proprij consilij tantum pertinacia suscipitur, quod alieno se imperij duci non patitur, & vitium est peruicacis inobedientiæ, aut laboris grauioris molestia, quam magistratus administratio affert, & peccatũ est turpis inertiæ. Itaque vtrumque culpa, & quidem non leui animum polluit. Aut demum ex eo, quod minus se idoneum ad eam functionem existimat. atque huius postremi delectus maximus habendus. Etenim cum ex D. Paulo, omnis potestas à Deo sit, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: pertinax illa recusatio morti-

Io. 10.

ad Rom. 13

tradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat; virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Ex quibus perspici potest, quàm apte inter se auctores consentiant. Nam & sua curare, diuinisque contemplandis, otium sequi, nisi quid obstet, cuique integrum est; cum vero maioris imperiũ accedit, dicto obedientes esse oportet, commissumque publicæ administrationis munus & suscipere, & obire. Vt enim sit contemplationis otium actione tranquillius, non autem præstantioris meriti; quoniam Dei quis amore incensus suauissimi otij detrimentum facit, administrationisq; molestissimæ onus subit. Quapropter D. Bern. dixit, optimam partem elegit sibi Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conuersatio Marthæ. Quod quidem latius alibi prosequitur, dicens: Fratres, reuereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum: si labores pensamus, non affectamus honores; agnoscamus impares vires nostras; non delectet molles, & femineos humeros virorum supponere sarcinis: nec obseruemus eos, sed honoremus; inhumane nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis; temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim, si is, qui de claustro est, eũ, qui versatur in populo, interdum minus districte, minusue circumspecte sese agere deprehendit, v. g. in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio: non ad iudicandum statim prosiliat, sed meminerit scripturæ: Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tua custodia vigilans benefacis, sed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque quadam inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Itaque nihil ad hanc controuersiam accõmodatius afferri potest, quam quod D. Augustinus asserit. Otium sanctum quærit charitas, negotium iustum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponi-

Super cāt.

Eccl. 42.

tur, suscipienda est propter charitatis necessitatem; sed nec omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur ista suauitas, & opprimat ista necessitas. hactenus isti. Quocirca nubium speciem volantium præseferre Ecclesiastici Pastores debent; scilicet rerum diuinarum contemplationem continere, quam euulgando, subiectorum animos ad pietatem, & honestatem fœcundent. Quod autem de Marco legitur, si gestum est, sancti Spiritus afflatu gestum esse existimandum est. Itaque ad aliorum exemplum proponi non decet. Ac de his, quæ ad auctoritatem pertinent, nihil præterea requirendum esse videtur.




LIBER

Liber Quintus.

CAP. I.

Quod dilectionem habere debent.



QVI recte de magistratibus tractauere, tria in ijs, vt praeclare munus suum praestent, desideranda esse docuerunt; vt velint, vt sciant, vt possint recte magistratum sibi demandatum administrare. Quocirca Arist. ait: Tria quidem praecepta trahere debent ij, qui summos magistratus gesturi sunt. Primum, vt charam habeant Remp. deinde vt maximam habeant munerum magistratus potestatem; tertium, vt in vnaquaque Rep. praediti sint virtute, ac iustitia ea, quae ad Remp. accommodata sit. Itaque vt ad nostra veniamus, auctoritas, ac potestas tribuit posse, charitas velle, virtus scire: sed quoniam de potestate satis superiori libri actũ est, de charitate, qua quis saluam esse Remp. velit, modo agamus. Ac primum quaerunt, an is ad Ecclesiasticae Reip. administrationem deligendus est, qui ceteris sit melior? Quia verò charitas, qua quisque (vt theologice, atque adeo vere loquamur) bonus est, communis est omnium, sed excellenti cum gradu est eorum propria, qui oues Christi curandas susceperunt; iam vero, quod huius beneficio melior quisque efficitur: ideo ad charitatis rationem, ac modum quaestio reuocanda esse videtur, vt is potius deligendus, ac praeficiendus sit, qui ceteros charitatis virtute antecellit. Atque huc pertinere videtur, quod Dominus noster, cum Petro Ecclesiae magistratũ demandare institueret, an se diligeret, & prae alijs, interrogauit. *Io. 10.* Adde, quod in ordine quoque naturae praeferenda esse praestantiora infimis, illisque praesidere, perspicitur, caelum elementis, cetera elementa terrae. *1. Metheo.* Ait enim Philosophus: Vt mundus orbibus caelestibus continens sit, quodammodo necesse est, vt ab illis omnis eius vis administretur, & regatur.

Melior ergo, ac præstantior in ijs, quæ sunt gratiæ munere constituta, ad præsidendum deligendus est. Sed enim quemquam esse alio meliorem bipartito intelligi potest, vel simpliciter & omnino, vel comparate. Quoniam autem Ecclesiasticus magistratus ad administrãdam rem publicã Christianam vt ad finem refertur; bonitas non simpliciter & omnino, sed comparate requirenda esse videatur, id est, vt ea sit, quæ ad egregie hunc finem consequendum accommodatior sit, & aptior: semper enim eorum, quæ ad finem pertinent, ratio ex fine ducenda est. Vt enim in vnaquaque facultate non melior omnino, ac simpliciter eligitur, sed qui præclare suo possit munere fungi: in medicina probus medicus; in musica probus musicus: in pictura probus pictor, non vir probus: ita in Ecclesiastica Repub. administranda, nõ qui probitate simpliciter præstat, sed qui ad eam gerendam est paratior, & instructior. Quocirca & Philosophus non eandem esse virtutẽ viri probi, ac Principis statuit. In litteris autem sacris idem perspicuum est. Nam D. Paulus non simpliciter probos presbyteros duplici esse honore dignos asserit, sed qui (ait) bene præsunt, ad muneris certe Episcopalis functionem, præclarã Episcoporum probitatem referens. Idem colligitur cum asserit; Deum alios constituisse Pastores, & Doctores ad ædificationem Ecclesiæ. Itaque probitatis rationẽ ad Ecclesiæ egregiam administrationem, & ædificationem pertinere, necesse est. Ac D. Bern. ait: Non eiusdem est meriti, vniusue virtutis, socialiter viuere, & vtiliter præesse. Quapropter & almificus monachorũ legislator in electione eiusmodi sanciuit: Senior talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas. Concludit autem admodum eleganter hanc rem totam, D. Ambrosius, dicens: Sicut senatorẽ chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis periculum, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat actores; ita Episcopum, non nisi Episcopalis actio designat: munere igitur suo præclare fungendo Episcopi probitas potissimum continetur. Cum autem electio in comparatione

1. ad Tim. 1.

Ephes. 5.

tione cernatur, vt multis inter se collatis, vnus, posthabitis alijs, deligatur: comparatio non simpliciter cuiusque probitatis facienda est, sed eius, quæ ad digne impositum munus obeundum maxime valet. Ex quibus perspici licet, meliorem ad muneris functionem eligẽdum esse, meritis cuiusque mature ponderatis: neque id leuiter, sed accurate esse faciendũ præscribitur, si carere culpa elector velit. Quamobrem concludimus, eligentem graui se noxa, ac plerumque mortifera obstringere, nisi non modo probum, hoc est, lethali peccato vacantem, sed accurate quoque adhibita meritorum perscrutatione, meliorem præ ceteris ad id muneris fungendum deligat; alioquin vitio, ac sæpius lethali subiacet acceptionis personarum; & omnia, quæ ex eo nascuntur detrimenta, resarcire tenetur. Electus autem arrogantiæ vitio laboraret, si se ceteris præstantiorem duceret: satis est, si crimine, id est, exitialis peccati expertem se (vt humana imbecillitas permittit) noscat: id enim D. Paulus postulabat: Oportet Episcopum sine crimine esse. Quis vero sit huius præstantiæ modus, facile ex officijs intelligi potest: sunt enim eius officia tria. Primum est, subiectum populum fidei, ac pietatis, honestatisq; rationibus imbuere; alterum, eundem ab omnibus hæreticorum, ac aliorum fidem, moresq; deprauãtium periculis tueri. Tertium est, ita munus demandatum gerere, vt pax, ac trãquillitas, & animorum, & corporum consequatur. Quisquis igitur hæc aptius, accommodatiusq; præstare poterit, is melior, ac præstantior existimari debet. Nemo vero est, qui ab hac dissentiat sentẽtia; quoniam vt charitatis virtus maxime sit ad pastoris digne obeundum munus necessaria, ac sine qua nefas est Ecclesiasticum inire magistratum, tamen aptiores quoque oportet vt adsint rationes, quas in D. Petro minime desiderandas esse Christus Dominus exploratum habebat; ideoque ipsum de sola dilectione rogauit. Quæ in administratione Ecclesiastici magistratus requiritur, tametsi in aliquo sit præcisa quadam ratione, modo aptiores, & accommodatiores conditiones in eodem reperiantur, is præferendus est. Denique alius est

ad Tit. 1.

Solutiones rationum.

est naturæ ordo atque gratiæ. Natura enim comparatum est, quod vt præstantiora infimis præstant, ita & præsideant; cælestes orbes elementis; elementa terræ: gratiæ autem munus
1 Cor. 12. libera Dei benignitate tribuitur, teste D. Apostolo: Diuidit cuique prout vult; ideoque vtcumque quis charitatis virtute superetur, si tamen ceteris accommodatis ad finem rationibus præstet, diuino iure is magis deligendus est, quoniam Ecclesiasticæ Reip. maius afferre adiumentum potest. Cetera persequamur.

CAP. II.

An liceat impositum magistratum deserere.



QVAERI solet, an licet publico Ecclesiastico Magistratu abiecto, ad priuatæ vitæ rationem ac religiosam quemquam se conferre. Putant quidam licere, quoniam tota vis probitatis nostræ in eo posita est, vt quam maxime fieri potest, ad Dei similitudinem propius accedamus; Dei autem præstans beatitudine actio (ait Philosophus) in cognitione, & contemplatione consistit; ergo & hominũ actio, vt quæque ad hanc proxime accedit, ita est præstantissima; quia in ea elucet quoddam diuinæ actionis exemplar. Magistratus autẽ publici, etiam Ecclesiastici administratio, in actione versatur, non in contemplatione: fas igitur erit, ea posthabita, priuatæ vitæ se dedere. Huc accedit, viros sanctissimos, quique diuini numinis afflatu ducebantur, sæpius idipsum vsurpasse: Sãctus Brunus Signinus Episcopus eo munere abdicato, in sacrum Casinum se abdidit, ac monachi, & Abbatis Casinensis officio functus est. Sanctus Petrus monachus primum sacri Cœnobij Cauensis, deinde Policastrẽsis ecclesiæ Episcopus creatus, triennium eius magistratus partes sustinuit: verumtamẽ officium molestijs implicatũ iniquo animo ferens, ac se à cõtemplandi studio auocatum grauiter dolens, Episcopi loco, ac di-

ac dignitate deposita, iterum se in Cauensem solitudinem contulit, ac diuinis rebus totum mancipauit, Abbatisque tandem munus egregie per annos quadraginta gessit, rerum gestarum amplitudine absolutissimus, pietatis, ac honestatis studijs præstantissimus, miraculorum diuinorum actione præclarissimus; tantumque abest, vt vitio hoc datum fuerit, vt præclaro potius vsi consilio esse videantur. Demum, si id culpa esset, canonicæ sanctiones minime compellerẽt plerosque, dimisso Episcopali munere, se in monachorum collegium abdere. De renuntia. cap. Quidam. At nonnulli rem contrarijs rationibus exagitant, asserentes, non licere cuiquã ex præstantiori vitæ ratione, ac meriti maioris abire in abiectiorem, ac meriti minoris. Quocirca Dñs. Nemo mittens manũ suã ad aratrũ, & respiciẽs retro, aptus est regno Dei. Quis aũt negare ausit, Episcopi statũ vita religiosa, ac priuata longe præstare? quippe qui alios perficiendi munus sustineat. Itaque perspicuum est, non licere Episcopo ad priuatum, & religiosum vitæ statum se conferre: quin, vt nefarium est monacho, cultu, & professione religionis abiecta ad sæculum demigrare, vt ad vomitum; ita fere Præsidi Ecclesiastico, sua functione dimissa, in religionem se abdere. Præterea à sapientibus vsurpatum est, Deum, ac naturam nihil frustra, ac sine causa facere; atqui si integrum, ac decens Præsidi Ecclesiastico esset, atque adeo Episcopo, abdicare se magistratu, priuatumque vitæ institutũ sumere; quorsum potestas ordines conferendi, chrisma conficiendi, ceteræque eius generis functiones, ac character, quorum sunt perpetua ratione insigniti? sublato enim vsu, frustra, ac sine causa diuina hæc munera iacerent, quod est absurdum. Nefas ergo existimant à publico Episcopi, & Ecclesiastici magistratus munere quemquam abire. ita isti. Sed nos optime ipsos inter se conuenire arbitramur, si varia controuersiæ momenta accurate expendamus. Ac primũ, cuiusque Pontificis, ac Religiosi status in perfectione situs est, sed non eodem modo. Nam Ecclesiastici magistratus dignitas perfectionem postulat iam acquisitam, & confirmatam, est enim

Lucæ 9.

nihil

nihil aliud, quam spirituale magisterium: siquidem præsidentes Ecclesiastici, successores sunt Apostolorum. Nam Apostolus de se ipso: Sum (inquit) ego prædicator, & Apostolus, & Doctor, magister gentium in fide, & veritate. Nemo aut perfectus magister esse potest, qui non ipse perfectus sit: quoniã astruit Philosophus, tunc vnumquodq; perfectum est, cum sui simile gignere potest: ita nec Philosophiã docere, nec vllam artem etiam sordidam, qui eam ipse non tenuerit, potest. At Religionis status non exigit perfectionem, sed inducit: est enim quasi schola, in qua perfectio tũ aliorum doctrina, tum propria exercitatione paulatim comparatur. Quocirca recte à Theologis docetur; alterum esse statũ perfectionis adeptæ, alterum adipiscendæ; in quo ipso nemo cogatur, vt statim sit perfectus, sed satis est, vt aspiret, idque studeat, vt paulatim fiat; ideoque Præsidis ecclesiastici functio in eo posita est, vt populum suæ fidei creditum, veræ pietatis, & honestatis officijs excolat, ad æternitatemque ducat, idque egregie præstare voto obedientiæ, quo ex diuina charitate, Deo, ne dum Pontifici maximo se obstringit, ac perpetuo quodã vinculo, annuliq; signo, Ecclesiæ vt sponsæ copulatur. Ex quibus perspicuum est, nefarium esse semel Deo nuncupatum votum violare, suoque arbitratu diuortium ab ea facere, quam Deus sibi despondit. Quocirca D. Apostolus animi pendens, quid potius deligeret, an vt in cælestes oras, diuina visione fruiturus euolaret; an ne vt hac rerum exigua luce contineatur, ad commoda fidelium Christi curanda: præclarius secum agi, immo magis necessariũ existimauit, carnis sarcinam ferre, ne ouium Christi aliquam iacturam faceret. ideoq; dixit: Et hoc confidens scio, quia manebo. Nulla igitur incommodorum vis, nulla commodorum ratio, atque adeo neque diuini numinis contemplatio tanti esse potest, vt semel commissum legitime Pastoris officium abijciatur: cum D. Paulus, neque celerem in cælum profectionem, qua nihil melius, nihil præstabilius in rebus humanis excogitari potest; iustam causam Apostolicum munus dimittendi censuit. & Christus Dominus

1. Cor. 9. *2. de Anima.* *ad Phil. 5.*

nus

nus etiam vitæ, ne dum qualiſcumq; commodi iacturam pro eiſdem eſſe faciendam præſcripſit. Rata hæc, & firma eſſe ambigi non poteſt. Sed prætcrea feret plerumq; caſus, vt abeundum magiſtratu eccleſiaſtico ſit, neque quidquam cum diuina præceptione pugnans efficietur. Id vero vel ex parte præſidis, vel ex parte ſubiectorum eſſe poteſt. Et præſes quidem, aut intrinſeco quodam impedimento tenetur, aut extrinſeco; & vtrumque aut ſuperari poteſt, aut ſecus. Intrinſecum impedimentum eſt, aut in ratione, ac mente, vt ignorantia, imprudentiaque; aut in facultate expetente, vt magna vitiorū lues, infamiamq; conſequens: extrinſecum vero eſt, vel imbecilla ſenectus, vel corporis grauis ægrotatio. Atque in his omnibus ea eſt norma ſeruanda, vt ſi hæc ipſa, & eorū ſingula quæque adeo obſtant, vt remoueri omnino non poſſint, quod probe quis ſuo fungi munere poſſit, illico abdicare ſe magiſtratu prorſus teneatur; quippe cum eo ſit eccleſiaſtici magiſtratus omnis ratio referenda, vt recta animorum curatio, & adminiſtratio conſequatur. Si autem aut maioris auctoritate, aut proprio conſilio, & induſtria amoueri, quod obſtat, poteſt, obſtringitur nihil prætermittere, omniaque agere, vt impedimētum tollatur. Illud autem in hac re magnopere animaduerti velim, vt non quoduis impedimentum ſatis eſſe exiſtimetur ad Eccleſiaſtici muneris abdicationem, ſed tale eſſe debet, vt obſtet, neque ſua, aliorumve diligentia id ſuperari poſſit. Docentur iſta cap. niſi cum pridem. de renunt. & eodem cap. litteras. ibique de ſingulis quibuſque cauetur. Indeq; quæ huic ſunt loco neceſſaria cuiq; petere licebit. At ex ſubiectorum parte impedimentum ſubeſt, cum tanta, ac talis ſit eorum improbitas, vt adhibita à præſide curatio, ac ſuſceptus in ea labor irritus ſit, ac vanus; quod ea ſint mentis duritie, & obſtinatione obfirmati, vt nulla velint ratione fœditatem deſerere, officium ſequi; tunc etſi munus adminiſtrationis ſuſceptæ abijcere nulla lege teneatur, fas tamen illi erit, animi ſui tranquillitati conſulendo eo ſe abdicare. Quocirca D. Gregorius ibi (inquit) æquanimiter portandi ſunt mali, vbi inueniuntur

L aliqui,

aliqui, quò adiuuentur boni: vbi autem omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis superuacuus. Vnde sæpe agitur in animo perfectorum, quod cum laborem suum sine fructu esse considerant, in locum alium cum fructu migrant,
Act. 13. iuxta illud Pauli: Ecce conuertimur ad gẽtes, quia verbi Dei vos indignos fecistis. Atque hanc rationem sequuti sunt Sanctissimi viri Bruno Signinus, & Petrus Cauensis. Vt nulla certe dissentiendi ratio superesse videatur. Nam etsi cognoscendi, contemplandiq; studium cum animi sit tranquillitate coniunctius; amplioris tamen est fructus, & cum Dei similitudine copulatius publici magistratus, ac præsertim ecclesiastici munus. Quare Arist. ait: Maioribus laudibus ornare otium, quam
De Rep. lib. 7. actionem haud vere est, est enim beata vita actio, & ad multos, & præclaros fines iustorum, temperatorumq; actiones pertinent. Eiusdem autem abdicatio, nec temere, nec proprio arbitrio, aut prauo ambitu fieri debet: sed vt Pontificis maximi potestate fit collatio magistratus, ita eiusdem facultate renunciatio decernatur oportet. Latior explicatio sequatur.

CAP. III.

De Residentia.



NVLLA est controuersia diuinis de rebus tam sæua disputationis tempestate iactata, ac ea, quæ de Episcoporum, ceterorumque Ecclesiæ magistratuum residentia à recentioribus excitata est, vt veritatis portus difficilè teneatur. Ac de nomine quidẽ nulla, neque in sacris litteris, neque vetustiorum sanctorum libris mentio facta est. De re autem dignissime ratio habita. Vt autem à minimis ordiamur, nominis est primum notio aperienda, deinde ad cetera aggrediendum. Residentiæ vocabulum, non iteratam sessionem significat, sed eiusdem firmitatem, quoniam & residere, firmiter sedere est: à qua quidem significatione loci, functionis

quoque

quoque firma ratio declaratur: duorum enim potiſſimum reſidentiæ nomen ſignificationem affert; ſcilicet manſionis in loco,& paſtoralis adminiſtrationis. Iam vero conueniunt omnes,oportere Eccleſiaſticos magiſtratus & egregiam ſui muneris rationem habere, & locum propriæ Diœceſis incolere; ſed magnopere certant,poſſit ne vnum ab altero diſiungi, vt functionis quidem ratio præclare conſtet, tametſi Paſtor loco non adſit; an vnum ab altero ſeparari nequeat? Ac præterea,ſi coniuncta hæc duo eſſe neceſſe eſt, quo id caueatur iure,diuino ne,an humano? Ponit hæc noſtra diſputatio,conuenire inter ſe auctores, iure eſſe diuino cautum, vt Eccleſiæ magiſtratus præclare ſua munera obeant; quoniam vt ſæpe probatum eſt, & ex Ariſtotele acceptum, officio, munere, vique id efficiendi definita ſunt omnia. Itaque Epiſcopi,alteriuſue Paſtoris ratio labefactatur, ſi ſuo ipſe muneri deſit. Cum ergo eccleſiaſtici Præſides hoc ſui generis vim tueantur,quod ſua munera egregie præſtent,perſpicuum eſt, eodē iure conſtitutam & poteſtatem eorum, & munerum rectam adminiſtrationem. Vt igitur diuino iure nititur eccleſiaſtici Paſtoris poteſtas,ita proprij muneris præclara functio. Quocirca Apoſtolus: Obedite(ait) præpoſitis veſtris,& ſubiacete eis:ipſi enim peruigilant, quaſi rationem Deo reddituri pro animabus veſtris. Dei igitur conſtitutio eſt,quoniam ipſi ratio de muneris functione reddenda eſt. Ac Dominus Chriſtus ait: Fidelis ſeruus, & prudens,quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam,vt det illis cibum in tempore. Dominus ergo conſtituit ſuper familiam ſuam. Dominus conſtituit, vt det eſcam, &c. quoniam & poteſtas,& functio diuino iure conſtituta eſt. Verumtamen, quia clara ſunt iſta,eſſe longa non debent:controuerſiam modo tractemus. Triplici genere Epiſcoporum functio(vt eruditiſſime Caietanus docet)diſtincta eſſe videtur;nam alia eſt,quæ certo tantum tempore exerceri poteſt,vt ordinum collatio,Confectio chriſmatis; Alia, quæ nullo temporis ſpatio definita eſt, plerumque tamē eam tractari neceſſe eſt, vt eccleſiarum ſunt, veſtium,vaſorumque

De Rep. lib. 1.c. 2.

ad Heb. 13.

Matt. 25.

consecrationes. Alia, quæ & nullo certo temporis spatio, & sæpius, ac fere semper tractanda est; vt gregis pastio, atque cu ratio. Quod enim tempus esse potest, in quo possit à suo munere Pastor vacare, cum & assidue ouium animas alere eum ad æternitatem oporteat, & à tyrannorum vi, hæreticorumq; fraude, ac dæmonũ astu tueri ipse debeat? Quibus positis, differendum est nobis contra eos, qui disiungi alterum ab altero posse sentiunt; aiunt enim: causa, ob quam Ecclesiæ Pastores residere obstringuntur, est, vt sua munera probe obeant; huc enim pertinere asserendum est, præsentiã Pastoris; ac non functiones tantum primi generis, sed alterius, ac tertij præstare Pastores per alios administros, & Vicarios egregie possũt; residere itaque illis necessario non incumbit. Qui enim per alium (vt præceptio canonica docet) facit, per seipsum facit, ac plerumque præclarius. Cõfirmatur ratio, quoniam quæcumque ad finem non simpliciter, & omnino pertinent, sed vt facilius, & accõmodatius finis comparetur, absolute necessaria censeri non debent; sed animorum curatio, & administratio per Vicarium idoneum egregie expleri potest; nõ igitur præsentia est necessaria Pastorum: quoniam fieri potest, vt loco pastores absint, & muneri suo non desint. Ahj autem contra disputant, multis, ac varijs rationibus vtentes. Nos tripartitã dumtaxat afferemus, vt tripartito insigniri nomine Ecclesiæ magistratus astruximus, vigilis, siue custodis officio, Sponsi, atque Pastoris. Ac primum, quid tam coniunctum esse cũ vigilis, siue custodis officio potest, quàm vt rei, ac personæ custodiendæ adsit? Etenim vigilis, custodisq; notio declarat virum qui res, ac personas suæ creditas fidei ita solerter per se curet, atque omni studio, ac diligentia in id incumbat, ne quid aut mali inopinãtes opprimat, aut boni oscitãtes prætereat. Quamobrem consilio quantum poterit, labore plus pene quam poterit, excubabit, vigilabitq; pro eis. Quo-
Esa. 62. circa sacræ litteræ canunt. Super muros tuos Hierusalem con stitui custodes, tota die, ac tota nocte non tacebunt laudare
Esa. 58. nomen Domini. Ac de talibus aperte dicitur: Clama ne cesses.

ses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. Quid? quod non præsentes tantum, ac vigilantes, sed summo studio, diligentiaq; paratos esse etiã Ecclesiæ præsides necesse est, quoniã dicitur: En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Lectulus est Salomonis idest Christi, qui est pax nostra, & cuius factus est in pace locus: Ecclesia, ad cuius administrationem, & curã præsides cingendo excubant perfectissimi quique (senario enim numero perfectio declaratur) & quibuscum nemo ex alijs contendere, virtutis perfectione potest; tãtumque abest, vt loco abesse queant, vt alacres potius, ac solertes totam noctem perstare debeant, diuinique verbi gladios apertos, & expeditos tenere ad contraria quæque depellenda. Deinde arctior est coniunctio sponsi, & sponsæ. Quare (inquit) relinquet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc (ait Apostolus) in Christo, & Ecclesia magnum est, & in Christi successoribus, & in Ecclesia. Tam igitur absurdum est sponsum non esse cum sponsa, quam non esse cum se ipso. Quocirca cõcludendum est, huius sancti coniugij vinculum, nulla re nisi morte disrumpi posse; neque licere sponsum à sponsa loco disiungi; quod si fieret, incredibile fere dictu est, quot adulterij imminerent pericula, quot incommoda prostitutionis sequerentur. Quamobrem necessariam esse sponsi præsentiam, conuincitur, ideoque recte sponsa ait: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Quis igitur sponsus tam sui decoris, ne dicam sponsæ amoris oblitus est, vt hæc ipsa cadere in vicarium quemlibet finat? Postremo, Pastoris nomen non quidem abusione quadam pro gregis domino, sed proprie pro eo, qui ducit ad pascua, & custodia inuigilat, cadit in Ecclesiasticos magistratus, de quibus Apostolus: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei. Itemque: Pascite qui in vobis est, gregem. Pastoris autem officium latissime patet: educere ad pascua,

Cant 3.
Ephes. 2.
Psal. 75.
Gen. 2.
ad Eph. 5.
Cant. 1.
Actuum 20.
1. Pet. 5.

ducere

ducere ad riuos aquarum, oleo scabiem inungere, arcere lupos,& aduersantia quæque vncino plerumque, plerumque fistula errantes reuocare, & id genus alia, quæ explere Pastor, nisi adsit, nō potest. Præclare Arist. (vt ab extrinsecis quoque testimonia petamus) ait: Si necesse sit mutare locum animalibus propter pastionis commoditates, ipsi etiam pastores vnà coguntur sequi, quasi agriculturam viuam colentes. Quare & in sua consecratione Episcopo dicitur: Vade prædica populo tibi commisso, non autem committe prædicationem: dilucide enim id explicare his verbis Christus Dominus videtur: Pasce oues meas; scilicet per te ipsum, ac tuum, non aliorum ministerium. Ex his alijsque multis sacrarum litterarum locis habetur, Præsidis Ecclesiastici præsentiam omnino esse necessariam; quodque gregis curationem, & administrationem per se ipse præstare obstringatur. Et vtrique quidem partim vere, partim non vere dicunt, vt consensio inter eos non admodum difficilis esse videatur. Sed deinceps tractabitur.

De Rep. lib. 1.

Io. 21.

CAP. IV.

Conciliatio istarum opinionum.



IHIL potest accommodatius in hac, quam quærimus, consensione afferri, quam quod erudite à Doctore sancto dictum est, obligationem omnem potissimum ex fine esse metiendam. Est autem Ecclesiastici Præsidis obligatio, ita se suo, ac pastoris munere fungi, vt populus æternitatem consequatur. Idque (citra controuersiam) diuino iure constitutum est, vt nulla possit cuiusque, aut commodi, aut incommodi ratione irritari; ideoque si egregie præstare id possit Pastor Vicarij alicuius opera, potest quoque à suæ Diœcesis loco abesse, ob communem Reip. commodum consequendum, vel suæ personæ incommodum vitandum. Siquidem eius præsentia non per se, sed finis istius consequendi gratia necessaria

ria est. Si verò haberi quidem is finis sine ipsius præsentia nō potest, nihil aut commodi, aut incommodi, etiam mortis suæ, tanti esse potest, vt commissum sibi gregem deserat: Bonus enim Pastor animam suam pro ouibus ponere, diuina præceptione tenetur. Ex quibus perspicuum est, Pastoris præsentiam plerumq; non esse necessariam, plerumq; adeo esse necessariam, vt sine illa pastoris munus non extet. Ideoque primum statuo, Pastoris præsentiam non per se, & omnino esse necessariam, sed ad egregie eiusmodi munus obeundum: ac præterea diuino id iure constitutum esse, quod sane proxime alterius capitis rationes obtinent. Deinde posse ex causa loco abesse. dico autem ex causa, quod etsi proprie gregis curatio iure diuino necessaria sit, nihil tamē prohibeat absentem illum alijs rebus, rationibusq; magis consulere: Vicario tamen præfecto, qui partes suas expleat, vt primis argumentis conclusum est. Quoniam autem res meliores, ac præstantiores, quæ illæ quidem sint, plerumque obscurum est, tota eiusmodi deliberatio ad Pontificis maximi iudicium referenda est; quippe cuius est ius diuinum vt non irritare, tamen quo id intelligatur modo, declarare. Quocirca & sacerdotia mutandi, & dioeceses vel imminuendi, vel amplificandi, cetera; eiusdem generis faciendi ius habet; ipsi enim vt legitimo Christi Vicario, & Petri successori dictum est, nullo addito discrimine, Pasce (ait D. Bernardus) non has, vel illas, sed simpliciter oues meas. Itaque omnes habet, cui nihil excipitur. Declarauit plane id pro accessu ad comitia, & generalia, & prouincialia; pro legationibus, & visitationibus obeundis; pro examinandis, probandisq; ijs, qui ad Episcopatus dignitatem cooptari debeant, (vt iam Sanctissimus Dominus noster Clemens Opt. Max. Pontifex religiosissime seruauit) ac si qua sunt alia, pro communi sanctæ Ecclesiæ, ac generali bono. Par est enim, vt singulorum bonum, etiam Episcopatus, ad vniuersum referatur; ac pars quæque sui etiam detrimentum patiatur, vt commodo totius consulatur. Cuique enim parti (ait Arist.) à natura tributum est, vt vniuerso consulat. Summopere

Io. c. 10.

Io. 21.
De consid.

Lib. de rep. 8.

mopere autē mihi probatur tripartita ab eruditissimo Caietano ratio inducta, qua quidem tota controuersia profligatur. Tres (inquit) subesse causæ possunt, vt singuli quique præsides lege residendi soluantur. Necessitas impedimenti, Qualitas negotij, Conditio personæ; quamquam hæc ipsa ad Ecclesiæ commodum referenda sunt. Et impedimentum quidē aliud est ab intrinseco, vt grauis pastoris valetudo, aliud ab extrinseco, vt tyrannorum persecutio. In vtroque Ecclesiæ commodum spectandum est. Nam si valetudinis restituendæ causa Pastor cælum mutare velit, eoque magnum suæ Ecclesiæ detrimentum afferre cernit, discedendi ratio omnino abijciēda est, locoque manendum. Iam etiā si vitæ detrimentum
Io. 10. accipiat: ita enim dicitur: Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis: si autem aut nihil, aut modicum incommodi subest, ratio est valetudinis habenda, solumq; vertendum, vt valetudine restituta, aptius Ecclesiæ rationibus deseruire queat. Atque ad hanc sunt rationem reuocandi discessus, quique ob negotia, vel visitationes propinquorum, & animi quoque causa fiunt. Non enim conchiliorum more loco suæ diœcesis præsides affixos esse, residendi præceptum decernit, sed vt prudentia, rectaq; ratio præscribit. Si autē persecutio ferueat extrinseca, tum delectus habendus est talis, vt si Ecclesiam persecutor inuadat, mortem potius appetat, quam loco discedat. Si præsidis personam inuisam habeat, tum ex Ecclesiæ commodo est, vt ad tempus declinet, seq; ipsum tueatur, ac seruet in suæ Ecclesiæ beneficium; eoque pertinet id Christi
Matt. 10. Domini: Si vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam. Qualitas autem negotij triplici genere continetur, idque planum fiet corporis translatione adhibita. Nam comparatio fieri potest, aut totius ad partem, aut partis ad totum, aut partis ad partem. Quibus ita constitutis, statuitur licere præsidi Ecclesiastico ad Vrbem, aut alio se conferre, vt Ecclesiæ suæ iura tueatur, & curet, ceteris omissis muneribus, visitandi, prædicandi, & quæ sunt eiusdem generis, quoniam singulæ quæque eiusmodi functiones eam habent rationem,

ad

ad Ecclesiæ bonum, vt partes ad totum; iure autem & diuino, & naturali tenetur quisque suo consulere toti. Iam verò, quoniam (vt diximus) singulæ Ecclesiæ in ea sunt ratione ad vniuersalem Ecclesiam, vt partes, vel ad caput, vel ad totum, & natura comparatum est, vt membra se periculis, & incommodis quoque offerant pro capitis, ac totius tuenda salute: ne dubitari quidem fas est, licere eo commigrare, in quo de vniuersalis Ecclesiæ bono agetur, idemque suæ etiam Ecclesiæ detrimento curare. Quocirca & Ecclesiæ Præsides, Abbatesq; sancti Benedicti, ceteriq; regularium superiores, si vt comitijs intersint suis, si vt visitationibus, ceterisq; alijs pro Ecclesiarum, cœnobiorumq, bono functionibus dent operam, loco discedunt, tantum abest, vt muneri desint suo, vt hac potius ratione præclarissime eo fungãtur. Reliqua est proportio partis ad partem, in qua charitatis ordo seruandus est; verbi causa: rerum nostræ ecclesiæ detrimentum patiamur, vt alterius ecclesiæ subiectis, quoad animi salutem, consulamus, ac necessitati aliarum spirituali prospiciamus, semperq; præstantioris maiorem ducamus rationem. Quas quidem ob causas D. Paulus Titum, ac Timotheum à suis abesse ecclesijs iussit, aliasq; adire, quoniam & rari erant operarij, & necessitas fidei promulgandæ instabat. Ad extremum conditio personæ, ad rationem auctoritatis, ac præstantiæ, & in litteris, & in moribus metienda est, vt è loco suæ Diœcesis discedere liceat, si tanta est eius auctoritatis vis, & doctrinæ, ac morum præstantia: adde, & loci, ad quem commigrat, vicinitas, vt absque suæ ecclesiæ iactura commoda alterius curare queat, cetera ex alijs cuique petere licebit. Concludamus tamen, varia hæc rerum momenta ad Pontificis maximi iudicium reijcienda esse, qui se fidelem seruum ac prudentem præstabit; fidelem profecto, vt ex causa dispenset, non proprio arbitratu dissipet. Prudentẽ vero, vt causarum merita recte dijudicet, non confundat. Ac de residentia satis. De beneficentia deinceps.

CAP. V.

De benignitate, & eleemosynis, & an dominium habeant.



T homines ea de causa congregatos esse par est asserere, vt mutuis auxilijs imbecillitatem suā tuerentur; ita præsidij causa magistratus esse constitutos, vt eorum, & iustitia, & benignitate prohiberetur iniuria, beneficium præstaretur. Tam igitur magistratus munus est, pœnis, ne ius violetur, nocētes punire; quam beneficijs, ne humanitas negligatur, indigentes afficere. Adde quod ecclesiarum præsides, quo magis proxime ad Deum potestate accedunt, eo illius imaginem præclarius non nisi benignitate assequuntur: Vt sitis (inquit) filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suū facit oriri &c. Quocirca de præsulum beneficentia disputatio instituenda est. Ac primum constituo, quæstionem illam quidem, an ecclesiarum præsides dominium rerum ecclesiasticarum, quantum ad earum fructum, habeant, in ambiguo esse positam, nec affirmantibus magis, quam negantibus rationes pro sua parte suppetunt, vt consensionis nulla superesse ratio videatur. Ac mihi quidem summopere illorum sententia probatur, qui astruunt primum ecclesiarum copias, opesq; sub Dei dumtaxat cadere dominatum, deinde fructus copiarum, & opum quoad dominium, ad eundem Deum pertinere; quod ad rationem administrandi, ad eos quoque spectare, quibus est sua portio attributa, ad Episcopum, siue Prælatum, ad clerum, siue collegium, ad fabricæ curatorem, ad egentium prouisorem. Ac de prima quidem conueniunt inter se auctores, iurisque periti, ac Theologi omnes, solum Deum rerum ecclesiasticarū esse dominum, præterea nullum. De secunda discrepant inter se Doctores. Ego tutiorem sententiam esse sequendam reor, quod administratio, non dominium, sit eis credita: nam Diuus Doctor non asseruit contrariam sentētiam, sed disputat, quod

Matth. 5.

ex verbo, videtur, aperte colligitur. Ac pono vigere legis vsū, vt plerisq; in regionibus res ecclesiasticæ in quatuor sint partes distributæ, vna traditur Præsidi, altera ministris, tertia fabricæ applicatur, quarta egentium vsui addicitur, xij.q. de redditibus. & 12.q.2. suos. & deinceps. In plerisq; duæ tantū portiones efficiūtur, vna Præsidi tribuitur, altera administris: quoniam aut Præsidi dumtaxat egentium, & fabricæ onus incumbit, aut administris tantum, aut vtrisq; simul. Quod autem administratio tantummodo prudens, ac fidelis illis quidem credita sit, audi D. Bernardū: Sane patrimonia sunt pauperum facultates ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores, nō vtique vel possessores vltra victum accipiunt, & vestitum. Quibus verbis dominij ius ademptum esse Præsidibus ecclesiæ docet, dispensationem creditam, ac non rerum, sed fructus: paulo post elegantissime asserit, dicens: Triplex funiculus, qui difficile rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impure intrat, indigne ministrat, sed & ipso fructu abutitur tēpli. Impure autē intrare idē ipse declarat esse, eo animi proposito magistratū inire, vt opes, ac delicias, voluptatesq; conquirat; indigne autem ministrare, est, stipendia cleri in voluptatis, curiositatisq; congregare vsum; abuti autem fructu, est, eos ipsos, quorum sunt dispensatores, non in frugalem sui victum, & vestitum, sed in irritamenta gulæ, in incentiua libidinis, in superflua ornamenta expendere. Ex quibus perspicuum est, sanctiones ecclesiasticas 12.q. & fere per totum. vetustiorum patrum sententiæ adscripsisse. Atque his constitutis, generale documentum est, ecclesiarum Præsides, ceterosque administros (regulares sint, an sæculares nihil interest) administrationem tantum habere, non dominium; possēq; sibi ex illis citra culpam, ea quæ ad cultum, ac victum, quæque ad suæ personæ, ac dignitatis decus modeste tuendum pertinent, vendicare. Nam dignus est (ait Dominus) operarius mercede sua. Et *Luc. 10.* qui altari seruit, de altari viuere debet. Quare D. Bern. viuat *1. Cor. 9.* de altario, non superbiat, non luxurietur, non ditetur; non in

clericatu diues ex paupere fiat, ex ignobili gloriosus: non sibi de bonis ecclesiæ palatia fabricet, nec loculos inde cōgreget, nec in vanitate, & superfluitate dispergat; non extollat de facultatibus ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes, ne filias dixerim nuptui tradat. Conceditur ergo tibi, si bene deseruis, vt de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris, vt inde compares tibi fræna aurea, cellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaq; pellicia, à collo, & manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique quidquid præter necessariū victū, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Idem multo antea D. Hieron. astruxit, scribens ad Pōtificem max. Damasum, referturq; 16. q. 1. cap. quoniam. Sed vt præclarius consensionis ratio tractetur, rerū est diuisio facienda. Bipartita esse possunt bona, quibus ecclesiæ Præsides potiuntur, alia laica, alia ecclesiastica. Primi generis sunt ea, quæ aut hereditario iure, aut donatoris largitate, aut cuiusque siue corporis, siue animi facultatis functione ab eis conquirūtur. Alterius generis sunt ea, quæ religionis, ac pietatis ratione ecclesiæ largita fuere. Cōueniunt omnes, bona quæ primo genere continentur, ecclesiæ præfectis, & dominio libero, & absoluta administratione subesse, vt eisdē integrum sit, non modo libere vti, sed etiam, vt libet, largiri, vēdere, alienareque, neque vlli peccato ob id quisque sit obnoxius, nisi aut tenacius, quàm par est, restituendo, aut vberius, quam ratio præscribit, profundendo. De ecclesiasticis delectus habendus est; nam primo conueniunt fere omnes (vt diximus) dominium Dei tantum esse, præterea nullius; administrationem generalem sane Pontifici maximo, ceteris vero præfectis particularem, pro rata sui muneris parte à Pontifice maximo proxime commissa, atque adeo à Deo summo esse concessam sentiunt omnes. Ecclesiasticorum autem bonorū præcipuum esse vsum, vt ex ijs suppeditetur victus, & cultus honestus, quique decorem & personæ, & dignitatis tueatur, eorum, qui ecclesiæ ministerio vacant, non quidem eadem, aut pari ratione seruata, sed & personæ, & dignitatis dispari gradu

12. q. 1. c. quia tua & dist. 44 in princ.

gradu conſiderato. In quo quidem non moroſus, limatuſq; adhibendus eſt modus, vt animus ſcrupulis perturbetur; ſed diſcretus, & prudens, vt luxus immodicus, non largior vſus damnetur; minimis enim in rebus à præſcripto iure deflectere, plerumq; culpa vacat. eadem omnium ſententia eſt. Id omne, quod ex conſtituto iam vſu ſupereſt, egentium ſubleuandis miſerijs eſſe inſumendum, atque hoc ſenſu ſanctorum dicta accipienda eſſe decernunt. Egentes autem hoc loco, homines intelligunt, religioſaq; loca, cœnobia, xenodochia, hoſpitalia, eccleſias, quibus illi quidem continentur. Ac demum egeſtas, non tantum victus, cultuſque penuriam, ſed indigentiam eorum, quæ ad cuiuſq; perſonæ, ac dignitatis ſtatū tuendum pertinent declarat. Atque ex his perſpicuum eſt communi fere omnium ſententia, & quibus ex bonis eleemoſyna ſit facienda, & quibus ſit impendenda, & quibus quaſi limitibus ſit metienda: quæ quidem omnia eccleſiarum præfectos ita curare oporteat, vt ſi ſecus fecerint, & graui ſe noxæ, ac plerumque mortiferæ obſtringant; & reſtitutionis onere nonnumquam obligent. Si quid igitur opum, ſi quid ſuppetit copiarum; non voluptatibus ſuis, ſed multorum, atque adeo filiorum ſaluti eccleſiæ præſides impertiantur, meminerintq; illud Apoſtoli. Quæſtus magnus eſt, pietas cum ſufficientia, vt ab omni & cupiditate acquirendi, & tenacitate conſeruandi abſtineant.

S. D. 22. q. 185. ar. 7. Cōc. Trid. ſeß. 25. c. 1. de reform. S. D. quol. 6. ar. 12.

CAP. VI.

An liceat Epiſcopis, ceteriſq; Prælatis oppida ciuileſque iuriſdictiones habere.



VONIAM autem hæc expoſita ſunt; nunc quod conſequens eſt, conſiderare oportet: Vtrū eccleſiaſticis magiſtratibus copias, & opes, ac præterea caſtra, oppida, imperijq; iuriſdictionem habere liceat? De primo indictum nobis bellum

esse videtur, cum profligatissimis tantum hominibus. De secundo cum religiosissimis quoque. Quia vero non defuerunt eruditissimi viri, qui cum primis congressi eos validissime expugnarunt, vel hoc vno, quod beneficentiæ fructus, quos ferre maxime astricti sunt, neque in suos, neque in hospites constarent, nisi opes, & copiæ suppeterent : cum vtrisque de secundo dumtaxat certamen est nobis ineundum, placidum sane, vt reuocare eos, non profligare videamur. Nihil inquiunt, magis pugnat cum magistratus ecclesiastici modestia, animiq; submissione, quàm præstare omnino tenentur, atque fastus, & arrogantiæ vitium; eiusmodi autem potestas magnopere coniuncta est superbiæ, & arrogantiæ. Quod Christi Domini sententia optime comprobatur: Scitis (inquit) quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit, ministrari, sed ministrare. Omnis igitur dominatus altitudo, ac iurisdictio submouenda est à viris ecclesiasticis. Quippe quæ cum Christiana humilitate, atque adeo ecclesiastico præsidi potissimum debitæ virtuti non congruit atque ad hanc rationem spectat consideratio D. Bernardi. Quia non præesse, sed prodesse debent, cap. 3. 3. libri. Deinde ea perfectionis ratio, quæ veteris legis administris præscripta est, multo arctius nouæ legis præsidibus constituta esse videatur, siquidem præstantioris sunt gradus. Atqui illis quidem nulla dominatus potestas, nulla imperandi iurisdictio permissa est, tantummodo decimarum ius attributum, quo se, suosq; ad vitæ necessaria, & commoda sustinerent. Non ergo licet ecclesiasticis Magistratibus sæculari iurisdictione, ac potestate potiri. Nam si, vt non decorum modo, sed necessarium illis est, Christi se imitatores exhibere velint, ab omni sæculari abhorrebunt potestate: quoniam ille quidem & oblatum Regni ius reiecit, & Regnum suum non esse huius mundi asseruit: Regnum meum non est de hoc mundo. Cælestis igitur iurisdictio attributa est, non terrena, Regnum cæli, non terræ,

Matth. 10 *Lucæ 22.* *De consid.* *Luc. 23.*

Do-

Domino dicente: Tibi dabo claues Regni cælorum. Postremo status ecclesiastici longe dispar est, ac sæcularis, quod hic litium anfractibus impeditur, negotiorum procellis iactatur, causarum turbinibus agitatur: ille sancto otio, & tranquillitate conquiescit, diuinis rebus contemplandis insistit, Christi obsequio deseruit: ad eum igitur sæcularis iurisdictio, ac potestas curarum, ac sollicitudinum plena, spectare iure videtur; ne pilum quidẽ ad ecclesiasticos præsides pertinere. Atque huc referenda esse videantur: Quod duos gladios satis esse Dominus docuit, ijq; si duo sunt, distincti sunt, id est, sæcularis, & ecclesiastica potestas: & quod Apostolus præscribit: *ad Tim* 2
Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus, vt placeat ei, cui se probauit. Quibus ex omnibus perspicuum cuiq; esse videatur, sæcularem potestatem iurisdictionisq; auctoritatem ecclesiasticis viris minime conuenire. Sed enim causa ista grauissima est, ideoque necesse est diutius in ea immorari, altiusque eius ducere rationem. Cõstituo primum, rerum omnium nullo delectu, ac discrimine, Deum esse & primum conditorem, & summum moderatorem, cui omnia (vt vates ait) *Psal.* 110.
seruiunt. Ceteros deinceps dominandi, administrandiq; dominatũ facultate, ac munere pro rata parte esse præditos: vt quo propius Deum accedunt dignitatis præstantia, eo latius dominentur, & imperent. Hoc posito: Cum nihil sit in terris Deo similius, ac rerũ sacrarum, diuinarumque curator, atque administrator; certe imperium omne, siue sacrum, siue humanum, ad eum referendum est. Ecclesiasticus ergo magistratus munus diuinum in terris gerere, illiusque summi, ac sempiterni Regis administer, & vicarius in omnibus esse debet; humana namque ex diuinis colligata pendent. Qui ergo diuina potissimum curat, humana quoque per se tractare, ac moderari, summa est cum ratione coniunctum. Eo pertinet, quod diuinæ, & humanæ historiæ profitentur, illos Reip. præfuisse, qui religioni, sacrisq; rebus præerant, naturæ lege hominum animis impressa, atque insculpta vigente. Cui diuinorum curatio, eidem regni administratio obueniebat,

certe primogenito. Apud Indos Gymnosophistæ, ac Brachmanes, ijdem, & sacrorum præsides, & hominum rectores. Persæ Magis; Asyrij Chaldæis; Aegyptij sacerdotibus; Hebræi Prophetis; Galli druidis, humanarũ rerum, ac diuinarũ summam committebant. Quid, quod lege à Deo Moysi data, idem Moyses Rex extitit, & Sacerdos? Moyses (inquit) in sacerdotibus eius. Eadem ratio in ijs valuit, qui Leuitici erant generis, ex quibus ministri rerum sacrarum legebantur. Nam
Leuit. diuino iussu 48. vrbes, & suburbana earum cum imperio susceperunt. Viguit idem ius & in eis, qui diuino quoque cultui
Iudi. studentes, quoniam iudicia exercebant, iudicum nomen tulerunt, vsque eo, dum populi Iudaici peruicacia ferme interruptum potius, Regno constituto in Saule, quam sublatum ius fuerit. Siquidem in Machabæis iterum, ceterorum principum iugo abiecto, sacerdotibus restitutum est Regnum. Ad
1. Reg. 2. gratiæ tempus veniamus. Christus Dominus, cui primo non ex diuinitatis tantum ratione, rerum omnium imperium de-
Matt. vlt. betur; sed ex eiusdem coniunctione: Data, inquit, est mihi om
ad Heb. 1. nis potestas in cælo, & in terra. Ac D. Paulus asserit: Quem constituit heredem vniuersorum; ita tamen regnum admini-
Philip. 10 strauit, vt serui formam gesserit, eoque se demisit, vt non patri modo, sed hominibus ministraret: venerat enim non iudicare, sed iudicari, suamq; animã dare pro multis in redemptionem; ideoque repugnantis specie non est vsus. Ac vt diuini
1. Cor. 2. nuncij euulgatio (ait Apostolus) non fuit in sapientia verbi, ne euacuaretur crux Christi; ita Regni constitutio, & curatio humilitate, ac demissione administrata est, ne humanis iuri-
Ibidem. bus diuina niti viderentur (Apostolo docente) vt fides nostra sit in virtute Dei. Eodẽ pertinet, quod Apostoli, Apostoliciq; religionis nostræ principes rerum tantummodo sacrarum imperium idcirco tenuerunt, vt & euulgandæ veritatis studio, cura sæcularium rerum impediti, minime deessent; quoniam primordia firmissima esse debent; & offendiculum hominum vitarent, quod non potentia, ac viribus, sed cælesti, ac diuina dumtaxat ope animorum curarent salutem. Constituta vero

eccle-

Ecclesiæ pace, ac cælestis nuncij auctoritate, rerum gestarum amplitudine, admirandis signis, ac portẽtis patefacta, Magni Constantini pia largitas Ecclesiam Vrbe, ciuitatibus, oppidis, iurisdictionibus sæcularibus, hominumq; imperijs, ne dum opibus, magna cum sui laude, ac merito auxit, instruxit, atque muniuit, sanctissimo Siluestro auctore, ac probatore: tantum abest, vt aut vitio hoc fuerit illi ascriptum, aut vt illicitum ab isto repudiatum, vt nihil & Imperatoria maiestate dignius, & Pontificia sanctitate præclarius existimari possit. Quod sane Constantiensi Concilio religiosissimi Patres amentem perditissimi Vuiclef insaniam potius, quam sententiam condemnantes sanxerunt. Huc accedit testimoniũ D. Aug. Epist. 50. ad Bonifaciũ. & Homilia 6. super Io: Idẽ asseuerauit sanctissimus Pontifex Melchiades canone Futurã. 12. q. 1. Vrbanus in canone statim proximo Vidẽtes. Atque vt multa prætercam, cõfirmatur canone Cõstãtinus. 96. dist. & ex Iustiniano authẽtico de rerum ecclesiasticarũ alienatione. Iam vero si aliquod vel minimum animorum huic rei discrimen, ne dum pernicies subesset, quomodo B. Pater Benedictus, qui teste Gregorio Magno, omnium iustorum spiritu plenus fuit, oblatas iurisdictiones, & imperium suscepisset? Idemque de innumeris fere sanctissimis viris existimandũ est. Vt autem pressius agamus, quoniam magna & commoda, & ornamenta cum vniuersæ Ecclesiæ, tum singulis quibuscumque partibus id genus imperij afferre solet, non repudiandum, vt illicitum esse videatur; sed asciscendum vt necessarium. Et quidem vt primis tẽporibus maiestas, & auctoritas diuino consilio, sanctitate, & religione ministrorum elucebat; ita deinde & modo, iurisdictionum, & imperij splendore, quibus (vt naturæ nostræ est ingenium) maxime hoc tempore homines mouentur, nititur. Re enim ipsa compertum est, quod, & quo loco Ecclesiastici Magistratus inopia laborãt, ne flocci quidem ducuntur; & ijs in partibus, certe Germania, Belgica, Polonia, & alijs, fides catholica impiorum etiam magnatum iniurijs, ac prauis conatibus, iam prorsus labefacta concidisset, nisi Præsulum ec-

N clesia-

ecclesiasticorum ea esset auctoritas, vt non modo laicorum iurisdictione plena, sed etiam publicos adeundi conuentus, in eis suffragia ferendi, ac de summa quoque rerum dijudicandi facultate præditi essent. Adde, quod magis est per se cum iustitia, ac lenitate ecclesiasticorum, ac religiosorum imperium coniunctum: eamque ob causam arbitrandum est, à religiosissimis quibusque Principibus ditiones eiusmodi ad suorum vassallorum, & commodum, & tranquillitatem elargitas ecclesiasticis, vt rapinæ, iniuriæ, ac violenta iudicia prohiberentur. Ac mihi non parui ad causam referre videtur, quod idcirco pijs, & personis, & locis hæc sit potestas attributa, quo facilius, & quietius suos colligere fructus, ac redditus possent, minusque iudiciorum sæcularis hominis turbinibus iactarentur. Atque vt hanc rem totam concludam, Apostolis cum dictum fuisset, vt qui gladium non haberet, venderet tunicã, & peram, ipsumq; emeret, responderunt: Ecce duo gladij hic,
Luc. 22. certe intra eos ipsos. Quod si duorum gladiorum significatione, duplex potestas, spiritualis, scilicet, ac laica declaratur, idque Dominus approbauit dicens: satis est; profecto Apostolis, Apostolicisq; viris, id est, Ecclesiasticis Magistratibus, ac religiosis minime interdictum est præter Ecclesiasticã, laica quoque ditione pollere. Itaque conuenire omnes in hanc sententiam necesse est. Quod autem contra afferebatur, non multum est operis confutare. Vt vero singula singulis reddamus, à primo confutationis, siue potius conciliationis ducamus exordium. Constituo rem non ex ijs, quæ fortuitu, aut hominum vitio, & abusu fiunt, dijudicandam esse, sed per se, ac vsu proprio; alioquin optima quæque reijciẽda essent. Quid enim sacris rebus, sacramentisque, si rite adhibeantur, salutarius, & excellentius? Quot autem nefaria ex eis fiunt, cum prauum ad vsum à perditissimis deflectuntur? Iurisdictio igitur ciuilis, laicumq; imperium, splendidam seruitutem, siue ministerium ecclesiasticis per se, ac recto vsu affert, non insolentem fastũ; dicere namque debent; sic nos existimet homo, vt ministros
1. ad Cor. 10. Christi. Hinc laudi Magno Gregorio datum fuit, quod seruũ
seruo-

seruorum Dei se appellauit; eodemque titulo ceteri summi Pontifices deinceps pro maxima dignitate vsi sunt. Hæc eadem D. Bernardi verbis subiecta sententia est, vt eum tyrannidem detestari, non imperium intelligamus. Ad quam sane rationem interpretari decet D. Petri verba: Non dominantes in clero, sed forma facta gregis ex animo: vt arrogans tyrannis condemnetur, non legitimus, ac modestus dominatus, quo sine Ecclesiæ auctoritas fere funditus euerteretur. Vbi enim non est gubernator, corruet (ait sapiens) populus. vt ex hoc perspicuum sit, Caluinum & imperite, & impie sensisse de hac tota causa. Secundum ita diluitur, vt labore agriculturæ Leuitas leuare voluisse asseramus, non abstulisse dominatum; quo sic tranquillius, absolutiusque diuino cultui studuissent; tantumque abfuit, vt dominij ciuilis ius ab eis auferret, vt illos potissimum ad id muneris, vt antea probauimus, constitueret. Quod autem ex Christi Domini affertur exemplo, iam confutatum est. Quippe cum diuini consilij ratio id fecit, ne aut diuina humanis niti viderentur, aut eadem in humanis consistere putarentur. Extremum vero facile explosum esse dignoscitur; cum omnis vita in partes duas distributa sit, in negotium, & otium: Ac natura (vt Philosophus ait) non solum honestum otium, sed etiam præclarum negotium requirit; nec quisquam nisi desipiat, abnuet negotium ad otium esse conferendum. Sed tamen Ecclesiasticus Magistratus in vtroque versari necesse est, vt & Marthæ iustum negotium, & Mariæ sanctum otium (D. Augustino teste) sectetur; causarum vero iudicia magnam partem, Moysis exemplo, sæcularibus permittere debet, summam sibi reseruare, ne aut ipse à tranquillitatis portu prorsus excludatur, aut iniustitiæ virus per alium latius grassetur. Huc pertinet quoque Apostoli auctoritas, vt ne omnis laicis in negotijs nostra opera ita consumatur, vt egregie curandi diuina omnis aditus præcludatur. Distinctos quoque concedimus esse gladios, id est, potestates, non autem adeo inter se aduersos, vt ab vno eodemque exerceri ad iam expositam rationem aut nō possint,

1. Pet. 5.

Prouer. c. 11.

de Rep. lib.

aut non liceat. Quocirca perspicuum ex ijs est cuique, laicis ditionibus magistratus ecclesiasticos, religiososque praeditos esse, neque cum sacris litteris, neque cum Apostolicis traditionibus, aut moribus, neque cum ratione pugnare. Atque hæc de Beneficentia satis esse videantur.



Liber Sextus :

CAP. I.

De Scientia.



VONIAM autem nobis propositum est quærere, quæ sit Ecclesiastici Magistratus ratio optima, sumendum primo est, omnino eã sine scientia constare non posse. Quocirca Propheta: Quia (inquit) tu repulisti sciẽtiã, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Ideoq; in symbolica Theologia, lumina, & duces, ac pastores appellantur, Domino Iesu Christo asserente: Vos estis lumen mundi. Et si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueã cadunt. Ac pasce oues meas. in qua sententia egregius Doctor S. Bernar. ait: Quomodo ignorantia excusare posset hominem, qui magistrum infantium, doctorem se insipientium profitetur? ignorans vtique ignorabitur; immo & multos ignorare faciens, facit ignorari. Quid enim periculi sit, vbi pastor non inuenit pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit voluntatem domini, Ecclesia quotidie multipliciter, & miserabiliter experitur. Itemque, quomodo in pascua educet diuinorum eloquiorum gregem dominicũ pastor idiota? Quamobrem ita præscripsit Apostolus: Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potẽs sit exhortari in doctrina sana, & eos qui cõtradicunt, arguere. Ac alias: Oportet Episcopum esse Doctorem. Nam vt recte rerum diuinarum tractatores docuerunt; Sacerdoti duo sunt munera, quorum alterum est, sacramenta rite conficere, atque administrare; alterum, fidei suæ creditos homines ijs & rebus, & institutis erudire, quibus æterna salus comparatur. Et quidem alterutrum nemo præstare egregie potest, qui cognitionis sit expers, quamuis exquisitior in secundo cognitio requiratur. Quocirca D. Benedictus de Abbate agens astruit: Doctum oportet

Osea 4. *Matth. 6.* *Luca 6.* *Io. 10.* *ad Tit. 1.* *1. Tim. 1.* *in Regula.*

oportere esse lege diuina, vt sciat vnde proferat noua, & vetera, sed pleriq; pietatis quidẽ specie, ignauiæ autẽ studio ducti, satis esse arbitrãtur ad præsidis ecclesiastici munus obeũdũ, si honestatis, ac pietatis officijs is quidẽ studeat, tametsi eruditionẽ negligat. Tũ quia nihil est, quod magis cum Ecclesiastici Magistratus ratione pugnet, quam animus inflatus, mentisq; tumor. atqui scientia (ait Apostolus) inflat, charitas autem ædificat: itaque de charitate ecclesiastico architecto laborandum est, non de scientia. Tum quia (vt sanctissimus Leo Pontifex asserit) vtcumque sit eloquentia facilis ad exorandum, sit ratio efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla, quam verba, & plus est opere docere, quã voce. Ex quibus perspicuum est, Ecclesiæ præfectis virtutis, ac pietatis maximam esse rationem ducendam, doctrinam posthabendam. Hæc quæstio bipartito tractari solet, simpliciter, & comparate. Nam & quærunt, an vitæ probitas sine doctrina satis sit, vt quis præclare præsidis ecclesiastici fungatur munere; & disputant, vtri primæ partes in eiusmodi functione tribuendæ sint, virtuti, an doctrinæ? Ac primum consentire inter se omnes arbitror, numquam in eo munere fungendo doctrinam à Pastore seiungendam. Quippe quæ per se, ac proprie munus pastoris attingit; quæ autẽ propria cuiusq; sunt, auelli ab eo non possunt. Quocirca D. Chrysostomus docet: Qui ignorat rectam, sanamq; doctrinam, vt oportuerit, tradere, longe à sede Episcopali arceatur. Nam alia quidem & in subditis inuenire facile est, puta, esse sine crimine, filios habere subiectos, hospitalem esse, iustum, & sanctum. Ceterũ hoc est, quod maxime pastorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & confutare aduersarios, cuius rei nullã ferme nunc curam haberi videmus, atque ingemiscimus. Eodem pertinet illud D. Hieron. Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Quocirca necessariam per se esse doctrinam ecclesiastico præsidi, ex his apertissime comprobatur. Nec obstat id, quod ab Apostolo affertur testimonium:

1. Cor. 8. (margin, beside "tus, mentisq; tumor")

Super epi. ad Tim. (margin, beside "sunt, auelli ab eo")

sola enim scientia, ac sine charitate animos effert; quamquam de ciborum delectu, non de ceterarum rerum scientia Apostolus eo loco agebat. Aliud egregie D. Chrysostomus eludit, dicens: Vt quid doctor appellatur, nisi vt doceat? sed forte dicis, vt philosophiam vitæ doceat exemplo. friuola hæc sunt. Est enim necessarium verborum quoque magisterium. Ideo & Paulus ait: Maxime qui laborant in verbo, & doctrina. Cũ enim de dogmatibus differitur, quem hic locũ vitæ sanctitas habet? Quid habet virium? Itaque exaggerãdo id D. Hieronymum dixisse, non docendo intelligendum est. Sed modo comparate eandem tractemus controuersiam, vt veritatis lux præclarius accendatur. Vtraque necessaria est Ecclesiæ præsidi, doctrina scilicet, atque probitas, sed ex his quæ in sanctorum doctrina continentur, non facilis aditus patet ad dignoscendum, vtra sit potior in eo munere præstando. Nã D. Chrysostom. vt antea retulimus, doctrinam esse potiorem egregie concludit, à proprietate, quæ in eum dumtaxat cadit, rationẽ colligens hoc modo: Id est alicui proprium, quod in eum per se conuenit, præterea nulli; sed doctrina in ecclesiasticos præfectos per se cadit, non probitas; nam hæc illis quidem æque ac ceteris subiectis conuenit, igitur potior est doctrina in illis, quam vitæ sanctitas. Friuolũ enim esse astruit, quod quisque vitæ exemplo, non verbo profiteatur docere. Eodem spectat, quod Dominus Christus, quæ à præfectis docentur, non autem quæ aguntur, potissimum sequi nos instituit, dicẽs: Quæcumque dicunt, seruate, & facite. In hanc sententiam D. Hieron. super Aggæum prophetam, ait; Cõsidera sacerdotum officium esse, de lege interrogatos respondere: si sacerdos est, sciat Domini legem, si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse sacerdotem Domini. Sacerdotis est, scire legem, & ad interrogationem respondere de lege. Quocirca maior doctrinæ, in deligendis Ecclesiæ præfectis, quam vitæ ratio ducenda esse videatur. Contra est illud. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur; quibus verbis primas tribuere probitati, proximas doctrinæ Dominus Iesus videtur. Itaque D. Pater.

1. ad Tim. 1.

Super epi. sto. ad Tit. 1.

Matth. 23.

Matth. 4.

in Reg. ter Benedictus ait: Cum ergo aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis; id est, vt omnia bona, & sancta factis amplius, quam verbis ostendat. Ac demum, ne in re clarissima, longiores quam decet, simus; Catechismus de sacerdotibus agens asserit, eum vitæ, ac morum primum integritate commendari oportere; non solum, quia si alicuius peccati mortiferi conscius se initiari curet, vel etiã patiatur, nouo se, & maximo scelere obstringit, sed etiã, quia virtutis, & innocentiæ lumen alijs præferre debet; vt multo id magis de præfectis Ecclesiæ sancitum esse sciamus, ac iureperiti fere omnes idem affirmant. Sed nihil est, quod dissentientes inter se has esse sententias statuamus. Nam aliud est astruere, quid proprie, ac per se in Ecclesiastico desideretur, præfecto; aliud, quid ratione subiectorum habita in eo requiratur. Doctrinæ enim proprie, ac per se ratio habenda est in præfectorum delectu, vt ex sanctissimis Chrysostomo, & Hieronymo docuimus: probitas autem tunc potissimum in ea requirenda est, cum aut scandalo cauetur, aut proteruitas, ac *Ibidem.* simplicitas subiectorum timetur. Quare D. Pater Benedictus ad hanc rationem assertionem suam reuocãs, ait: Capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris vero, & simplicibus factis diuina præcepta demonstret. Atque hoc necesse est modo rationem deligendi, constituendiq; præsidis variari, scilicet, vt ijs inter se comparatis, doctrinæ ne potius, an probitatis ratio ducenda sit, discernatur. Ac vere quidem vt dicamus, quia pastoris primæ sunt partes, vt euellat, & destruat prauam doctrinam, moresq; peruersos; ædificet, & planter sanam, & rectam, honestos, ac pios: ita quod (vt Apo- *Tim. 1.* stolus ait) potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui cõtradicunt, arguere; eruditio per se potissimum spectanda est; *Matth. 23* de moribus enim oues laborare non debent: Quæ dicunt (docet Dominus) facite, quæ faciunt, facere nolite. Quia vero plerumque talis potest ouium esse ratio, vt verendum sit, quem- *Sup. Cant.* admodum D. Bern. asserit, ne non tam nutriat doctrina vberi, quam noceat vita sterili, morum tunc præsertim probitas antese-

teferēda esse videatur. Quā sane sententiam Lutepertū, alijq; sequuti sunt. Concludamus ergo totam cum D. Bern. causam, asserente. Temere itaque & in hac parte hoc onus subitur absque scientia, pariterq; vita laudabili; etenim ijs saltem moribus debet esse præditus, vt vel ad virtutem aptum animum habeat, vel certe quadam ex parte bonus sit, non plane improbus, sed quodam modo, id est, vt specie Deo esse charus saltem existimetur: sic enim fiet, vt non solum imperium sit præstantius, & amabilius, sed diuturnius. Nam incredibile dictu est, quantum prosit, opinionem de eo, omnium eorum, quibus præest, eiusmodi esse, vt non tyrannum eum, sed patrē familias; non vendicatorem, sed tutorem esse existiment, vtq; moderatum viuendi genus, non effusum delegisse videatur; ei enim, quem virtutis, ac pietatis studio duci apparet, libenter omnia sua omnes committunt.

Sup. Cant.

CAP. II.

Quæ quantaq; esse eruditio debeat.



ECCLESIAE sanctissimæ Præsides doctrina præditos esse oportere, & simpliciter, & comparate disseruimus: restat, vt quanta ipsi eruditione pollere debeant, quoque modo ea ipsa statuenda sit, deinceps explicetur: ex quo perspicuum erit, quos fines, & quasi terminos doctrinæ ipsorum sacri Doctores constituant. Sunt autem non admodum hac de re sententiæ discrepātes. Ex sacro enim Catechismo colligitur, vt ex alijs, non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam reconditarū rerum in eis desiderari. Reconditæ autem res dicuntur, non quidem à natura inuolutæ, sed quæ ad Theologiam, tum mysticam, tum symbolicam referuntur. Vt enim illa quidem est sensu recondita, verbis aperta; ita ista recondita verbis, significatione aperta. Vtræque Ecclesiastico pastori perspectæ esse debent, vt oues & ingrediendo, & egrediendo pascua inueniant.

niant. Alij aiunt, callere eos necesse est & vetus, & nouũ Testamentum. Quippe qui in sua ordinatione vtriusque cognitionem se tenere interrogati, respondere coguntur. Alij sat esse astruunt, si communia præcepta, fidei capita, virtutes, & vitia; ac sacramenta perspecta habeat. Verumtamen omnes isti in ea tandem conuenere sententia, vt non æque ab omnibus summa reconditarum rerum scientia exigatur, sed quæ ad suscepti officij, & muneris functionem satis esse possit; quoniam ex fine semper, quæcumque ad ipsum pertinent, metienda, ac moderãda sunt: finis autem (vt sæpius diximus) cuiusque facultatis, aut officij est eiusdem functio. Quapropter ea debet esse Ecclesiastici præsidis scientia, vt probe suũ obire munus possit, commissique sibi gregis saluti prospicere: hoc enim vnicuique ipsorum propositum esse constat. Quoniam autem superioribus libris, Ecclesiæ præfectis triplex munus exercendum tribuimus, Custodis, Sponsi, Pastoris, scientia eos tanta excellere par est, quæ ad cuiusque horum functionem apta esse videatur. Atque, vt singula singulis reddamus, quia triplex (vt alias ex D. Bern. accepimus) fidelium cœtui periculum impendet, tyrannorum sæuitia, hæreticorum importunitas, dæmonum versutia, idcirco ijs, qui in eorum custodia tanquam in specula collocati sunt, necesse est, vt eũdem sua vigilia non modo à tali pernicie liberum, sed etiam à metu vacuum reddant: hoc autem nisi excellenti, exquisitaque eruditione sint præditi, præstare qui poterunt? Cum enim tyrannorum rabies immanissima spurcissimos ritus, nefarias religiones, impurissima sacra, aniles superstitiones, non rationibus modo, sed cruciatibus fideliũ funestissimis, neceque dirissima tueatur, iuraque Ecclesiæ conetur vsurpare, Ecclesiastici Præsidis munus est, & hos redarguere, & illa omnino confutare, & veræ, nostræque religionis cultus docere, ac defendere, & vsurpatam libertatem, & immunitatem vindicare. Quia hæretici per dulces sermones, & benedictiones corda seducere innocentium tentant, se magistros auribus prurientes exhibent, placentia loquentes, inordinate ambulant, & nõ secun-

Cap. qui ecclesi. 36 distin. Richardus.

2. Teß. 2. & 3.

secundum traditionem, quam à maioribus acceperunt, veniũt in vestimentis ouium, speciem Christianæ libertatis obtendentes, germanum sacrarum litterarum sensum prætexẽtes; ab Ecclesiæ sanctæ obseruantia discedere, à sanctorum Patrũ sententia abire, constitutam iam inde ab initio Christianam religionem deserere, sectari nouitates profanas persuadent, intrinsecus sunt lupi rapaces: quos notare, deprehendere, cauere, ac ne pestem exitialem importent, prouidere, importatamque abigere ad Ecclesiæ custodes pertinet. Quod denique callidissimi, & atrocissimi dæmones horum omnium malorum auctores, suasoresque, insidias vbique ponunt, dolos semper machinantur, vndequaque tela comparant, suadent aniles superstitiones, ingerunt impios ritus, voluptatum lenocinia obijciunt; nouorum dogmatum zizania seminant, plantationem Catholicæ, ac Romanæ Ecclesiæ, quam plantauit Christus, eradicant. Sane perspicuum est, præstanti Ecclesiæ custodes doctrina instructos esse oportere, paratosque esse (vt D. Petrus docuit, & habetur cap. Qui Episcopus. 23. dist. c. Omnes psallentes. 38. dist.) omni petenti reddere rationem de ea, quæ in nobis est fide, ac spe: itẽque vt potẽs sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt paganos, hæreticos, dæmones arguere. Sunt enim sexaginta fortes, qui lectulum Salomonis excubando ambiunt, habẽtque singuli enses suos super femur suũ propter timores nocturnos; eorumq; arma (vt cum Apostolo loquar) spiritualia sunt, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Tripartito quoque sponsa Ecclesia decore fulgere debet, morum, functionum, ordinum: hæc enim est præstantissima ipsius venustas, vt vere de ipsa dici possit: Tota pulchra es, & macula nõ est in te. At ne fœdetur, sponsus magnopere curare studeat, ideoque virtutum, ac vitiorum causas, differentias, effectus, vim, rationesque optime eum tenere; functiones purgandi, illuminandi, perficiẽdi, quæ

Matth. 6.
2. Tim. 3.
1. Tim. 6.
Matth. 2.
Matth. 14 & 15.
Pet. epist.
ad Tim.
Cant. 3.
2. Cor. 10.
Cant. 4.

sint, quorsum spectent, in quos conueniant, à quibus, quomodo praestentur, compertum habere oportet. In hanc rationem incidit exorcismorum catechesum, censurarum, iurium, poenarumque Ecclesiasticarum cognitio. Ordinis autem ratio in Ecclesia latissime patet. Ordo incipientium, proficientium, perfectorum; Ordo coniugatorum, viduarum, virginum; Ordo laicorum, clericorum; Ordo clericorum sacer, non sacer, regularis, non regularis. Ordo laicorum triplex, supremus optimatum, infimus vulgi, medius honorabilium, & qui sunt eiusdem generis. Quos omnes, eorumque discrimina, ac rationes perspectas eidem esse opus est, vt qua se ratione habere, ac gerere debeat, non ignoret; sublata enim horum omnium cognitione, tantum abest, vt sponsae eximia species eluceat, vt turpis potius foeditas horrida cōsequatur. Huc pertinere videntur sacramentorum administrationes, ac potissimum causae ad matrimonium spectantes. c. 1. de cōsang. & affin. Indulgētiae, concessionesque, ac iudicia. 16. q. 1. Vis. Pastor. 16. q. 2. Demum tripartita quoque pastione ex eodem egregio Doctore, oues Christi alet, augebitque sacrarum litterarum, sanctorumque decretorum pascuis, quae aut prata sunt, aut colles, aut montes. Duri enim homines voluptatique carnis addicti, ex lege vitae, ac disciplinae praeceptorum tantum cibo, vt in planitie ali debent; imbecilles vero, ac teneri, vt agniculi, benignitate, ac misericordia ad amoenos dispēsationis colles, vt ad tenella pascua ducendi sunt; perfectis autem, ac summo officio, & virtute praeditis, vberrima consiliorum, ac firma pascua, quae ex editis sapientiae montibus innascuntur, proponenda sunt; quemadmodum docet Apostolus: Perfectorum est solidus cibus, eorum, qui exercitatos habent sensus, ad discretionem mali, ac boni. Ex quibus perspicuum est, oportere Ecclesiae pastores cognita habere praecepta, dispensationes, consilia, eorumque causas, dissimilitudines, effectus, rationesque, quibus haec ipsa diuersis hominum generibus accommodantur. Qua quidem in re Summus Pontifex excellere ceteris debet. Abbas c. cum in cunctis. de elect. cap. 1. de constitut. in

ad Heb. 5.

tut.in 6. Alij præsides pro muneris sui varia ratione plus, minusve. Abbates quoque, ceterosque regularium superiores eatenus callere diuinam legem, ac suæ institutionis regulam par est, vt subiectorum mores ad eam, quam professi sunt, rationem regulæ, institutionisque dirigere, ac moderari queant, ad æternitatisq; cursum ducere. Præclare namque summus religiosorum Pater præscripsit: Oportet doctum esse lege diuina, vt sciat vnde proferat noua, & vetera. Idem est iudiciũ de ceteris, qui Abbatis, siue alterius maioris vices pro rata parte sustinent, Præpositi, Priores, Decani, Subpriores, Vicarij, alijque eiusdem generis: ea enim præditi esse scientia debent, quæ ad præclaram sui muneris functionem desideratur, si durissimum iudicium, quod fiet his, qui præsunt, euadere studebunt. Ac de tota hac tractatione plane, dilucideque (nisi me ipsum fallo) disputatum est.

S. Bened. in Regulã.

Sap. 1.

CAP. III.

Variæ sententiæ conciliantur.



ISSERENDVM nobis est contra eos, qui doctrinæ genus in Ecclesiastico pastore constituendo requirẽdum esse concedunt, & de qualitate eius dissentiunt. Nam alij in eo diuinarum rerum eruditionem potissimum requirunt, alij Ecclesiasticarum legũ doctrinam magnopere desiderant. Atque hæc est vulgata illa quæstio, cũ de Ecclesiastici præsidis electione agitur: Vter anteponendus sit, Iurisperitus, an Theologus? Ac nonnulli ad temporis rationem controuersiam reuocant, asserentes, eo quidem tempore, quo hæresis pernicies grassatur, perfidiæq; virus serpit, ad Theologum magis Ecclesiasticam præfecturam deferendam, quàm ad Iurisperitum: quippe cum ille quidem valeat his malis sua eruditione occurrere, contradicentesque arguere. Quidam autem idem sen-

Ostiens. Abb.

ad Tim. 1.

sentiunt, nisi quod loci esse habendam rationem censent: vt si eo in loco præfectus constituendus sit, in quo hæresum malæ semina succrescunt, aut huic sit proximus, Theologus ibi præponendus est, non Iurisperitus. Quod si in eo simus aut tempore, aut loco, in quo (vt aiunt) causæ ventilantur, ac lites, iurisperitum anteponendum astruunt; mixtum vtrique. Alij autem nullam aut temporis, aut loci rationem ducendam esse contendunt; sed Theologum vbique, ac semper esse præferendum: tum quia proprium pastoris munus est diuinam docere legem. Quocirca Apostolus, alios (ait) dedit pastores, & doctores. Itaque amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere: tum quia primis temporibus, quisquis ad Episcopatum initiabatur, an veteris, nouique Testamẽti cognitionem teneret, rogabatur; non autem an Ecclesiasticos canones calleret: tum quod idcirco bicorni mitra ornantur Episcopi, vt vtriusque Testamenti doctrina præditos esse oportere significetur. de cognitione autẽ canonum nulla ratio subesse videtur. Tum denique, quod nulla temporis, aut loci ratio in terris esse potest, in qua ager sit Christi sine zizanijs; area sine paleis; campus sine spinis; virginum chorus sine fatuis; sagena piscium sine corruptis; has vero dissimilitudines internoscere; bonas tueri, malas reijcere, omninoque vel imminentem prauitatis cauere pestem, vel grassantẽ auertere, ecquis non Theologus potest? Causarum vero, ac litium cognitio tantum abest, vt meliorem adsciscendorum conditionem faciat, vt remouendam potius à sanctissimo Pastoris munere censeant; exemploq; Moysi, alijs operosam controuersiarum functionem demandandam, quo ipsi tranquillius, ac quietius orationi (vt D. Petri verbis vtamur) ministerio verbi instanter vacent. Ac D. Paulus ait: Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, constituit ad iudicandum. Enimuero aduersarius noster diabolus semper circuit, quærẽs quem deuoret, nulla aut temporis, aut loci ratione exclusus. Quippe qui & in cælo, & inde ab initio prœliabatur cum Michae-

Abb. c. 1. de cõsang. & affin. in c. licet. de præb. nu. 5. Caiet. ac Sotus.

Matth. 15 & 3. Cant. 3. Matth. 25 & 13.

1. ad Cor 6

1 Pet. 10

Michaele,& sociis; & in Paradiso parentes nostros aggressus fuit, atque prostrauit. Itaque sobrios esse oportet,& fortes in fide vigilare, eique resistere, accinctum semper tenere gladium spiritus, quod est verbum Dei, ac in omnibus scutum fidei sumere, vt possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, quæ sane numquam vel per se ipsum intrinsecus, vel per suos administros extrinsecus, diabolus omni & loco,& tempore contorquere in Christi gregem desinit. Igitur rerum diuinarum scientia semper est cum Pastoris ecclesiastici munere per se coniuncta, causarum, ac litium cognitio minimum prorsus ad illum pertinet, vt vix, ac ne vix quidem nonnulli adduci debuerint, quo ex ea auctorum consensionem quærerent. Sed ne refutasse tantum aliena, nostra non constituisse videamur: asserimus, non tam loci, ac temporis, quam rei rationem potissimum habendam; atque in primis accipiendum ab aduersarijs est, qui sint illorum sententia, iurisperiti? qui Theologi? Nam si iurisperitos tantummodo eos censent, qui causarum anfractus persequi, litiumque cõtrouersias agitare sciunt, nimis abiectam, nimisque angustam eorum cognitionem faciunt, ac propterea non satis idoneos ad Pastoris Ecclesiastici munus egregie obeundum. Si eos etiam Theologos vocent, qui certæ cuiusdam scholæ tantum vocabula tractãt, dogmata profitentur, ignaros solidæ, ac veræ Theologiæ, quæ sacrarum litterarum primum; Apostolicarum traditionum, deinde; Ecclesiasticarum institutionum postremo cognitione nititur; vtrosque censeo ab Ecclesiæ Magistratu reijciendos. Sin autem iurisperitos eos habẽt, qui cum iuris cognitionem teneant, versantur sane in cognitione rerum diuinarũ, sacramentorũ ratione, tametsi non exquisita: zizaniaque à tritico seligere nouerunt, vt ex titulis multis in iure positis perspicuum est; ac minimam partem causas, ac lites curant; hos probe munere pastoris, quocumque loco, ac tempore fungi posse reor. Theologi quoque nomen, ac vim eis deferendam censeo, qui sacrarum rerum potissimum cognitione sunt prædi-ti, maiorum deinde constitutiones, sacramentorum admini-

stra-

ſtrationes, ac rationes perſpectas habent, vtcunque cauſarum, ac litium accuratam rationem ignorent, quod hæc ad paſtoris munus non pertinent; egregie illud quidem obire poſſunt. Itaque vtroſque tanto eſſe muneri pares decerno. Nec tamen nego temporis, ac loci, atque adeo prudentiæ, & circumſpectionis, tametſi cetera ſint paria, præcipuam eſſe rationem habendam. Ac de Paſtoris cognitione, atque ſcientia hactenus; mox de prudentia.



LIBER

Liber Septimus.

CAP. I.

Quod necessaria sit prudentia.



EMINI quidem dubium est, quin is, qui præfectorum Ecclesiæ rationes describit, eorum prudentiam, & solertiam in primis tradere debeat. Quandoquidem si rei huius cura prætermittitur, aut negligitur, magnum ex eo Christiana Resp. detrimẽtum capit. Ad quodque enim subiectorum genus Pastoris accommodanda est administratio; præsertim cum sui cuiusque hominis, ac status sint sui mores, certe animi propensiones, propria studia. Non enim eãdem rẽ sequuntur, sed aliam alij, magnæq; in multis eorum viuendi generibus existunt varietates. In quo præfectorum necessaria est prudentia non vulgaris, quæque suis tantum rationibus consulat, sed heroica, ac proprie diuina; & quæ publice, & cuiusque ceterorũ vtilitati prospiciat. Ita enim docet Dominus: Fidelis seruus, ac prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore. Itemque Apostolis, ceterisque successoribus præscripsit: Estote prudentes sicut Serpentes. Atque hæc virtus in omnibus magistratibus, ac maxime in Ecclesiasticis tanti est, vt haud sciam, an vel ipsa sola satis sit ad probe præfecti munus obeundum: certe hæc vna ceteras continet omnes, ac magnopere in administratione necessaria est. Nam Arist. 3. lib. de Rep. ait: Prudentia vna virtutum eius propria est, qui imperat, quoniam reliquæ eis qui præsunt cõmunes sunt cum ijs, qui in eorum sunt imperio: in eo autem, qui paret, non prudentia, sed vera tantum eius opinio desideratur. Quocirca Salomonem regno potitum hãc vnam expetiuisse sacræ litteræ narrant, in eaque præclaram administrandi Regnum rationem constituisse. Prudentiam hoc loco, voco circumspectionem, cautionem, solertiam, discretionem,

Matth. 24

Matth. 10

 vsum,

vsum,ceteraq; eiusdem fere generis,quibus valet quis aptas, & idoneas rationes,ac(vt loquuntur) media internoscere, aptare, referre ad subiectorum tranquillum conuictum, rectamque institutionis disciplinam, & æternitatis adeptionē.

in Reg. Hinc D. Pater Benedictus sic ait: Omnia temperet, vt animæ saluentur,& quod faciunt fratres,sine murmuratione faciant.

1. Tim. 2. Apostolus quoque orandum esse pro magistratibus præscribit,vt tranquillam, & quietam vitam degamus. Et omnino hac vna virtute in omni & re,& actione, & persona Christiani præsidis decorum assequemur,eiusdemq; muneris functionem idoneam tuebimur. Siquidem exuperantiam ac defectionem vitabimus; duo vitia, quibus cuiusq; magistratus officia perturbari solēt. Enimvero Patriarcha nosterBenedictus (cu-

in Reg. ius vti testimonio optimum iudico) fuit enim (magno Gregorio teste) omnium iustorum spiritu plenus. is ita docet: In ipsa correctione prudenter agat,vt ne quid nimis. Itemque in ipsis imperijs suis sit prouidus,& consideratus,siue secundum Deum, siue secundum sæculum sint; opera quæ iniungit, discernat,& temperet, cogitans discretionem scilicet Iacob dicentis. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens,sic omnia temperet, vt sit & quod fortes cupiant,& infirmi non refugiant. Prudentia igitur potissimum in ijs, qui ad Ecclesiam administrandam asciscendi sunt,requirenda esse videatur. At sunt qui contra sentiunt, animique simplicitatem maioris esse momenti ad curam contendunt. Nam quis digne pastoris munere fungi queat,nisi afflatu instruatur diuino? hic autem animi simpli-

Prou. 3. citati tribuitur sapiente teste: Cum simplicibus sermocinatio

Prou. 11. eius. Eodemque pertinet illud: Voluntas eius in his,qui simpliciter ambulant. Quocirca Christus Dominus simplices,

1. Cor. 1. idiotasq; elegit Apostolos. Ideoque D. Paulus, videte(ait) vocationem vestram, quod non multi sapientes secundum carnem, sed quæ stulta sunt,elegit Deus,vt confundat sapientes. siquidem per Vatem dixit: Perdam prudentiam prudentum.

Quasi

Quasi vero eam modo prudentiam in Ecclesiastico Pastore desideremus, quæ simplicitati aduersaria est, quæque ab Apostolo prudentia carnis appellatur, omnia ad se callide referens, non potius eam, de qua D. Hieron. ait: Habes simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos; & astutiam serpentis, ne alicuius supplanteris insidijs, quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse. Itemque prudētia absque simplicitate malitia est, simplicitas absque ratione stultitia nominatur. Ac D. Greg. explicans id Domini: Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ, inquit. Vtraque bene in admonitione conuertit, vt simplicitas Columbæ astutiam Serpentis destrueret, & rursus Serpentis astutiam Columbæ simplicitas temperaret. Absit ergo ab eo omnis animi stoliditas, ac sensus hebetudo, quæ ab omni repellit Ecclesiastica præfectura 39. dist. cap. Petrus sit sagax, sit solers, sit perspicax; insidias caueat, machinamenta aduertat, laqueos deprehendat, excubetq; ad luporum rabiem eludendam, ad ouium salutem tuendam. Scriptum namque est. Vbi nō est gubernator corruet populus. Hāc quoque D. Apostolus stupidam simplicitatem amouēdam à fidelibus iubet. Nolite, inquit, pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estore, sensibus autem perfecti sitis. Quin & Seneca docet: Prudens, si terminos suos excedit, callidus, & inuestigator latentium, & scrutator qualiumcumque noxarum ostenditur. maledico fasto plenus, versipellis, & simplicitatis inimicus, commentator est culparum. & postremo vno nomine a cunctis malus homo vocabitur, & in has ergo maculas prudentia immensurata perducet. Itaque ex ijs perspicuum est quæ simplicitas sit in Pastore, quæ prudentia requirenda, quæque ab eodem vitanda.

Rom. 9.

Super Oseam.

Prou. 11.

1. Cor. 14.

CAP. II.

In quibus prudentia consistit.




RVDENTIAE lumen triplici ex causa oriri sapientes docuere, natura, ac potius diuino beneficio, recta institutione, ac disciplina, vsu, & exercitatione. Ac vt singula quæque per se non satis sunt ad prudentiæ absolutum munus obeundum, ita aliud alio extollitur, atque perficitur. Præcipue autem sacrarum precum studium assiduum pastori Ecclesiastico colendum est, quo sibi diuinum numen conciliare possit, illiusque afflatu illustrari, ac dirigi. Omnes enim virtutes à Deo manant, illiusque beneficio, ac munere recta administratio continetur. Disciplina autem, & institutio assidua eorum auctorum lectione, ac studio comparatur, qui de ecclesiarum administratione tractãt, quorum numero post sacras litteras, & Conciliorum sanctiones primum locum obtinent duo Gregorij, & sanctissimi, & eruditissimi viri: primus in prima Apologia, alter in pastorali. Exercitatio autem functione, & diutina, & assidua continetur munerum, quæ cuique magistratui conueniunt. Huc spectat Apostoli præceptio: Nemini cito manum imposueris. Nã absurdum est vt quam maxime, ceterarum artium tractationem nemini, nisi bene, ac diu exercitato permitti; magistratum autem ecclesiasticum, qui præstat omnibus, inexercitato committi. Ac illud quidem proprie ad hanc quam tractamus rationem, pertinet declarare, Magistratus Ecclesiastici prudentiam in triplici genere versari; in describendis legibus; in obiurgationibus adhibendis, præmijs, ac pœnis constituendis; in varijs officijs distribuendis. Enimuero constitutis diuinis legibus, ac conciliorum Sacrorum sanctionibus, summorum Pontificum decretis, quæ Pastori Ecclesiastico omnino seruanda sunt, Synodum celebrare debet,

debet, in eaque tales ferre leges, vt horum sibi habendam rationem sciat, negotiorum, hominum, temporis, ac regionis. Ac præterea diœcesis ei visitatio diligens in primis curanda est, vt negotiorum rationes, hominum mores, temporum varietates, regionis consuetudines dignoscantur, accommodatæq; ijs leges in Synodo describantur, edicta promulgentur, adhibeantur censuræ, adhortationesq; habeantur. Deinde, quod non eadem est ratione vtendum cum illis, qui pie, honeste, obedienterq; se gerunt, atque cum ijs, qui impie, intemperanter, procaciterq; vitam degunt; obiurgationes, exhortationesq; sunt variæ adhibendæ, pœnæ dissimiles constituendæ, diuersa præmia proponēda. Postremo, quoniam omnem abesse criminationem, ac murmurationem à fidelium cœtu par est, Actuum 2. cap. officiorum, & onerum partitio facienda est, ita enim quilibet quieti studebit, immo vero proficiet, cum suum quisque quasi locum, ordinemque tuebitur. Quæ certe omnia, nisi à prudentiæ virtute, & heroica, ac ferme diuina illa quidem proficisci qui possunt? Quapropter de singulis quibusq; accuratam habendam nobis esse rationem oporteret, nisi de visitatione, ceterisque eodem pertinentibus præclare admodum à plerisque tractatum esset, & in Cōcilio sacro Tridētino sancitum sess. 24. c. 2. vt hoc munere supersedendum esse videatur. Itaque de legibus, officijs, & obiurgationibus pauca differamus. *Actuū 2.*

CAP. III.

De legibus constituendis.



VONIAM de legibus accuratius alio, ac suo loco disputatum est, duo dūtaxat modo declarare opus est, quæ ex Aristotele in hanc qua de agimus, commentationem transferimus. Quorum primum est, vt legislator Eccle-

siasti-

ſiaſticus non temere, ac leuiter, neque lucri cupiditate ductus, aut dominatus faſtu inflatus præſcribat leges; ſed optime cognitis prius, præclareque perſpectis populi ſibi cōmiſſi rationibus, moribus, inſtitutis, ſtudijs, conſuetudinibus, ceteriſque eodem pertinentibus, quibus legum ferendarum peritia apta, ac vera ratio continetur; optimæ enim hæ ſunt leges, quæ cuique aptæ ſunt. Siquidem accommodandæ ſunt (ait Philoſophus) ad ſubiectos leges, cum feruntur, non ad leges ſubiecti, vt æquitatis ratio locum habeat, ſine qua lex non ſanctio eſt ſancta, ſed violatio profana. Ac ita demum præclare conſtitutas eſſe leges, quibus pareatur, arbitrandum eſt, ſi eorum ſaluti conſulatur, non lucro, non imperio. Non dominantes (ait D. Petrus) in clero, ſed forma facti gregis ex animo. Studeat (docet Patriarcha monachorum occidentalis) magis prodeſſe, quàm præeſſe. Item D. Paulus: Non turpis lucri cupidum. Ac ſanctiſſimus Pater noſter docet præclariſſime, ante omnia ne diſſimulet peccata, & c. cap. 2. Alterum eſt, vt legum multitudine abſtineat, tum quod lex præclara quædam deſcriptio, & ordo eſt, multitudo autem nimia, nec deſcriptione vlla, nec ordine apte continetur; tum quod ea legum deſcriptio bona habenda eſt, cum eis pareatur: multitudini vero legum obtemperare admodum difficile eſt; ſibi enim ipſis plerumq; impedimento ſunt. Itaque recte docet Ariſt. eam ducendam eſſe bonarum legum deſcriptionem, ſi ſcriptis legibus pareatur; atque hanc vnam conſtituendam legem, vt ſeruentur leges. Tātum enim abeſt, vt proſit bonas habere, ac ſalutares leges, neque eis parere, vt nihil fieri poſſit peſtilentius; aditus namque magiſtratibus non parendi inducitur, & tamen maioribus obtemperare oportet. Obedite (ait D. Paulus) præpoſitis veſtris. Quod quidem tum in omnibus rebus publicis agendum eſt, tum vel maxime in Chriſtiana; in qua ſanctiſſimæ, ac prudentiſſimæ leges à maioribus latæ ſunt, vt nihil in hoc genere requirēdum eſſe videatur. Probo autem, vt edicta deſcribantur, ac promulgentur, quibus eius de quo legibus cautum eſt, populi admoneantur; ne aut

lib. Polit.
ibidem.
1. Pet. 5.
ad Tit. 1.
in Regula de Abbate.
ad Heb. 13.

in

incuria, aut obliuio obrepat. Hæc autem non censeo multis (vt plerisq; solent) ecclesiasticis pœnis inconsiderate sancienda, sed accurata circumspectione, ac diutina consideratione adhibita, vtque subiectorum salus, ac magistratus decus requirit; vt minimum autem fieri potest, pecuniæ mulcta constituatur, quoniam opum cupiditate eos, non animarum zelo duci, suspicari quis posset. Ac primum ea, quæ ad religionis integritatem pertinent, vt de importandis, & exportandis libris, nouisq; imprimendis, describenda curent. Deinde in publicos blasphemos, vsurarios, concubinarios, festorum dierum violatores, incendiarios, ceterosq; eiusdem generis facinorosos eadem constituant, vt à sceleribus deterreantur, ad virtutis, ac pietatis studia impellantur. Postremo vt eos doceatur, quemadmodum ritus matrimonij ritè celebrentur, ordines conferantur, gradus, ac dignitates distribuantur, munera, & officia committantur, & exequantur. Atq; nunc quidem hæc in transcursu attigimus, quæ alij commorando diutius explicarunt.

CAP. IV.

De Correctione.



VONIAM præsentis vitæ ratio ea est, vt integrè officia seruare nemo se posse confidat: in multis (ait D. Ioannes) offendimus omnes: *Epist. 1.* necesse est, vt admonitores, atque adeo correctores multi sint, qui ad virtutem, ac pietatem errantes correctione reducant. Hi verò potissimum debent summopere huic functioni studere, qui Ecclesiastici magistratus munus exercent. Præscribit enim Apostolus: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. *Ad Tim. 4.* Itemq; potens sit exhortari in doctrina sana: & eos, qui contradicunt arguere. *Ad Tit. 1.* Quare D. Augustinus: Si neglexeris corrigere; peior factus es, qui peccauit. Quamobrem de correctione, vt agamus; opor-

oportet. Ac primum nominis est declaratio afferenda, quod ex eo doctrinæ vberrimus fructus colligitur. Duo sunt verba, quæ ad hanc, de qua agimus, rationem pertinẽt, corripio, corrigo. Vtrumque cordis emendationem significant; nisi quod corripio, cor rapere: corrigo autem, regere cor, declarare videtur. Siquidem reprehensio, & obiurgatio, quæ verbis, & lenibus, & amantissimis fit, ad cor, animumq; fratris deuium regendum, accommodata ratione correctio nuncupari debet. Quæ vero præceptiua auctoritate, & imperio eumdem in vitia prolapsum quasi adhibita vi, ad officium rapit, correptio iure appellanda esse videatur. Atque hinc fit fortasse, vt apta quadam ratione, eiusmodi emendationis duplex esse genus omnes sentiant, fraternæ vnum, iudicialis alterum: quæ inter se multis rationibus differunt. Nam hanc præstare iudicis munus requirit, illam paternus amor adhibere; quæ & idcirco Euangelica appellari solet: propterea quod eius in Euange-
Matth. c. 18. lio modus describitur. Ac præterea ratio est in vtraque dispar. Prima siquidem verba postulat lenia, atque ad præscriptum Euangelij ordinem moderanda est: altera obiurgatorijs verbis indiget, atque ad iuris districtionem metienda est. Prima ex charitatis impulsu; altera ex iustitiæ munere adhiberi debet: prima peccantis fratris emendationẽ, ac salutem curat; altera, ne peccatum in aliorum perniciẽ serpat, prouidet: hæc ad magistratus tantum pertinet; illa omnes promiscuè obstringit. Etenim vt charitatis est munus omnium saluti consulere, ita iustitiæ sunt partes remedia adhibere, ne cuiusquam improbitate, commune, publicumque bonum violetur. Vtriusq; ex his definitio colligi apte sic potest. Fraterna correctio est admonitio, charitatis impulsu fratri à socio adhibita, ad Euangelij præscriptum, vt à peccato, quod ipsi exitium importat suscepto dolore resipiscat, officiũque sequatur. Iudicialis autem emendatio est, iustitiæ legibus à magistratibus facta, verbis, aut re cuique subiecto facinoroso, ne publicum bonum detrimentum capiat. Præclare autem D. Benedictus suæ regu-
in Reg. læ cap. 23. de ijs agit. Id vero est summopere hoc loco animaduer-

maduertendum, quod hæc diuisio optime constat, nec in dubium reuocari debet: quoniam magistratus locum patris sustinet, non fratris: ideoque aliud correctionis genus ponendũ esse videatur, certe paternũ. omnes enim in Christo (sint præfecti, sint subiecti) fratres sumus. Quamquam mihi optime probatur, vt Euangelicæ correctionis eiusmodi fiat diuisio: alia fraterna: alia filialis: alia paterna: tam enim qui pari sunt iure, debent vicissim eius habere rationem, quam qui impari, modus tantummodo variandus est. Quippe cum pater liberiori cum filijs ratione aget; filij cum patre, modestiori, Apostolo dicente: Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem. At modo controuersias excutiamus. Ac primum in disceptationem adduci solet, præceptum hoc sit, an ne adhortatio tantũ: ac præterea eius violatio lethalis ne sit, an leuis? De primo autem prompta est, ac certa solutio, præcepti vim habere: tum quod his verbis præscribitur. Corripe &c. tum quod lege naturæ, ac diuina continetur, eadem in alterum à socio beneficia conferenda esse, quæ sibi conferri quisque velit. Atque in eiusmodi decreto omnes fere conueniũt. Siquidem potior est habenda ratio animi, quàm corporis. Eleemosyna autem, quæ ad huius vitæ, & corporis necessitates subleuandas dirigit, præcepto continetur; correctio vero animum curat, ac medetur. De altero accuratior est ratio ineunda. Nam aliter de Prælatis iudicandum est, aliter de ceteris, aliter de criminibus, aliter de leuibus, aliter de priuatis, aliter de publicis, & quæ sunt eiusdem generis. Quinimmo diuersa est ratio seruãda in iudiciali correctione, atque in fraterna. Constituendum est autem, quod ab omnibus asseritur, vtriusque præceptum esse affirmans, non negans, id est, iubendi vim habere, non prohibendi, atque idcirco obligationem inducere pro ratione temporis, loci, rerum, ac personarum, quæque sunt eiusdẽ generis, non autem simpliciter, & omnino. Nam primum incidunt plerumque tempora, vt omittenda esse correctio videatur. Idemque censendum de ceteris. Cum enim aut fratri nocet, aut otiosa manet, omittenda profecto videtur. Enim

1. ad Tim. c. 5.

vero norma Euangelica ad charitatis rationem referri debet. Primum ne cui noceat: deinde vt fraternæ saluti seruiat; quo fit, vt si aut nihil nos profuturos, aut in deterius lapsurum fratrem probabiliter vereamur, correctionis omissio crimini minime detur. His adde, quod si peccantem vt virum probum, ac recti animi habeamus, seque circumspecturum, ac per se emendaturum existimemus, correctionis tunc omissio lethalē noxam non affert. Omninoque cum aut necessitatis ratio in correctione præstāda probabiliter deest, aut correctionis fructus verisimiliter non speratur, omittere eam iuste quisque potest. Deinde bonorum duo sunt genera, quæ in proximis nostris inueniuntur, cōscientia, atque fama: ex charitatis præcepto vtriusque habenda omnino est ratio. Sed quoniam excellentius est bonum conscientia, quàm fama: maior quoque eius cura suscipienda est. Præterea multo est publicum bonū priuato præstabilius, ideoque hoc illi postponi semper oportet. Vt enim boni genus latissime patet, disparique gradu alterum alteri præstat: ita non eadem est ad illud quidem tuendum cura conferenda. Quocirca maximi beneficij loco ponit sponsa, quod in charitatis virtute, quam in ea sponsus potissimum exquirit, ordinem constituerit, dicens: Ordinauit in me
Cant. charitatem. Cum igitur correctionis ratio omnis ex charitatis fonte dimanat, ad eius profecto ordinem moderanda est. Quibus ita constitutis controuersiæ omnes excutiēdæ, atque soluendæ sunt. Ac primum de leuioribus is habendus est delectus: vt aliud simpliciter leue sit: aliud leue quidem, sed coniunctum discrimini prolabendi in lethale. De primis perspicuum est, nullam subesse necessitatem admonendi: neque vllā nisi leuem prætermissionis culpam. De alijs, quisquis correctionis fraternæ muneri deest, lethale crimen incurrit: seruatis tamen quæ antea constituimus. Et correctio quidem eiusmodi ab omnibus lege charitatis requiritur, quamquā à præfectis maiori quadam ratione: quippe qui præstantiori eius gradu accensi esse debent; immo vt in naturalibus, vicissim & agunt, & patiuntur, propterea quod singula quæque ad alterutrum,

rutrum, plerumque re ipsa, plerumque facultate talia sunt: ita quoniam ad rectam rationem, vicissim & parere quidē, & imperare queunt, & corrigi & corrigere; nam simpliciter, & omnino non sunt pares. Quis enim negabit fieri posse, vt ij, qui maiori auctoritate pollent, consilio minus valeant, ideoque corrigi possunt ab ijs, qui potestate minus valent, consilio autem excellunt? Fraterna igitur correctio ab omnibus, & in omnes exerceri iure & potest, & debet. Iam vero, vt transgressionis huiusmodi accuratius rationem ineamus, verba Christi Domini excutiēda sunt: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Nam ex ijs colligitur ambiguitatum multarum solutio. Ac primum animaduertenda est notio verbi. Si peccauerit; quæ præteriti est temporis, vt significetur, correctionem tunc quidem euangelica norma astringendam esse, cum peccatum est iam commissum: quoniam si imminet in futurum, delectus habendus est talis: vt si ipse par esse potest, vt sua monitione adhibita, frater peccatum non admittat, tunc non denunciet, ne existimationi fratris noceat. Sin nihil se profuturum probabiliter credit, neque fratrem ab incœpto se reuocaturum speret: tum nulla interposita mora denunciet. Pluris enim, vt diximus, conscientia, quam fama facienda est. Deinde in te, inquit: hoc est, vt nonnulli exponunt, te sciente, & contra te solum. Nam in publicis criminibus & peccantis conscientia, & ceterorum, qui adsunt, læditur ob scandalum. Quocirca monitione omissa denunciari debet, tametsi correctio speraretur. Siquidem scandalo occurrendum est. Sed in hoc cautio seruanda est huiusmodi, vt si monens tanti esset, qui æque ac Prælatus, vtrique consulere posset, scilicet conscientiæ, & famæ: tunc denunciatione abstinendum esset: præterquam si Prælatus iure suo vtens, vt publicorum iudex, testimonium ab eo exigeret: hoc enim euentu denunciare obstrictus esset, ne Prælato ius suum denegare videretur. Præterea si quis ita peccat, vt perniciem non in te, sed in alios machinetur; aut animi, aut corporis: quoniam non in te, sed in alios peccat, monitione prætermissa, denunciationem Prælato faciat. In

Matth.

hanc rationem cadũt proditio ciuitatis, seminatio schismatũ, prædicatio hæresum, & si qua sunt eiusdem generis. Itaque præscriptus à Domino correctionis ordo seruandus quidem est in ijs dumtaxat, quæ & occulta sunt, & in auctoris, siue eius, qui scit, damnum recidunt. Quocirca secreta illa quidem admonitio antecedere denunciationem semper debet: non semel, sed sæpius, ac quamdiu spes est, ex ea peccantem se circumspecturum, & emẽdaturum. Quod si ea nihil obtinet, Prælato vt singulari personæ facienda est: ac demum testes inducendi sunt, vt conuincatur se peccare (vt D. Hieronymus docet) vel vt monitorem officio se suo non defuisse ostendat. Quæ est sententia D. Chrysostomi. Quamobrem si ad pauca controuersiam volumus reuocare; is ordo constituendus est. Primo secreto moneatur. Deinde Prælato vt priuatæ personæ denuncietur. Tertio testes inducantur. Postremo si peccatum probari potest, Ecclesiæ, id est, Prælato, vt publicum munus sustinet, denuncietur. Atque hæc omnia præstanda quidem sunt, si correctio speratur. Prælatus autem iustis probationibus adhibitis, peccanti, vt resipiscat, præcipiat: qui si renuerit, & contumaciter se geret: tum excommunicationis gladio à ceterorum consortio separetur, & vt Ethnicus ab omnibus & habendus, & vitandus est. Concludendum est autem cum D. Augustino: Si propterea quisque obiurgandis, & corripiẽdis male agentibus parcit, quia oportunum tempus inquirit, vel eisdem metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos alios impediant infirmos, & premant, atque auertant à fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Hactenus ille. Etenim corrector agentis est instar, corrigendus patientis; actio vero cuiusque in eo quod vim habet, ait Aristot. & in accommodata materia debet existere. Ac propterea vt oportet correctorem non temere, aut suo arbitratu correctionis officium impendere, sed temporis, loci, personæ, & quæ sunt eiusdem generis, rationes seruare; ita non voluntate, sed consilio, rationisque præscripto, iudicare opus est: An idoneus is omnino sit,

2. de Anima.

sit,aut tunc sit,ad correctionem suscipiendam. Qua quidem neglecta norma,si correctio aut adhibetur,aut negligitur,criminis noxa contrahitur. Audiamus D. Augustinum: Illud culpabile est,quod hi,qui dissimiliter viuunt,& à malorum factis abhorrēt, parcunt tamen peccatis alienis,quæ dedecorare,& obiurgare deberent: dum eorum offensiones cauent, ne sibi noceant in rebus tēporalibus, dum delectat lingua blandiēs, & humanus dies, & reformidatur vulgi iudicium, & carnis excruciatio, vel peremptio: hoc est propter quædam cupiditatis vincula,non propter officia charitatis. Neque vero depelli ab hac veritate quisquā debet, quod nec Iosephum Patriarcham fratres peccantes, ante accusationem apud patrē monuisse,legitur: nec diuum Petrum ante illatam mortis pœnam Ananiam,& Saphyram, cum tamen vtrorumque peccatum occultum esset. Nisi quod & Iosephum monitionem adhibuisse credi potest,vtcumque non legatur: ac melius responderetur, eorum peccatum fuisse publicum,quia accusauit: D. autem Petrum auctoritate diuina,cui omnia, tametsi occultissima perspecta sunt,id ad sanciendam recentis Ecclesiæ disciplinam egisse asseuerandum est. atque hæc satis. *Gen.* *Actuum.*

CAP. V.

De modo vtriusque correctionis.



VAM difficile sit correctionis studium,sacræ litteræ docent. Nemo potest corrigere quem Deus despexerit. Enimvero sit Pastor ingenio acutus,virtutis studio excultus,bonis artibus eruditus,religione castus, cognitione diuini, & Ecclesiastici iuris instructus, fieri non potest,vt absque diuini numinis ope,animal tam varium, tam multiplex,tā sui iuris tenax à semel suscepto vitio cohibeat, ad virtutis studium traducat. Recte sapiens: Nullum(ait) morosius est animal, maiorique arte tractandum, quàm homo. *Eccles. 7.* *Seneca.*

Quo-

Quocirca si pro dignitate correctio adhibenda est, Pastor assiduis precibus diuinam clementiã adire debet, & vt sibi tantum prudentiæ lumen elucere faciat; flagitare; quo dissimiliũ tam varia momenta internoscere, regere, ac moderari queat. Modus autem sapienter (vt omnia) à D. Patriarcha nostro præscriptus est cap. 11. dicente: In doctrina sua Abbas apostolicã debet illam semper formã seruare, qua dicit: Argue, obsecra, increpa, id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostẽdat affectum. Idque explicans subijcit, id est, indisciplinatos, & inquietos debet durius arguere, obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiãt, obsecrare. Negligentes autem, & contemnẽtes, vt increpet, & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, vt cœperint oriri vitia, radicitus ea (vt præualet) amputet, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Aliam præterea rationem tranctans ait: Honestiores quidem atque intelligibiles animos, prima, vel secunda admonitione verbis corripiat; improbos autem, & duros, vel inobedientes, verberum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corripitur. & iterum: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Et paulo post: Rem arduam, & difficilem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus, & aliũ quidem blãdimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus; & secundum vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam ita se omnibus conformet, & aptet, vt non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verumetiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ex quibus perspicuum est, carceris quoque rationem, ac fere triremium duci posse, eorum nominum significatione, verberum, vel corporis castigatione. Ac præterea duplicem habendum esse in correctionis modo delectum, hominum, atque criminum, statuendum est. De primo ex proxime expositis, & ex ijs, quæ in capite 23. 25. & 28. ab eodem sanciuntur, doceris: de altero in cap. 24. Quibus locis omnia fere, quæ ad hanc pertinere rationem videan-

in Regula cap. de Abb.

2. ad Tim. 4.

Prou. 18.

Prou. 23.

deantur præclariſſime tradita inuenies: nos breuitati ſtudentes omittimus. Sed vt concludam, ex eodem habes: In ipſa correctione prudenter agat, vt ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas, ſuamque fragilitatem ſemper ſuſpectam habeat, memineritque calamum quaſſatũ non conterendum. In quibus non dicimus vt permittat nutriri vitia, ſed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout cuiq; videbitur expedire. Prudenter (inquit) quia prudentia moderatrix eſt cum charitate; quoniam charitas eſt incitatrix. Hũc vt diſcipulus magiſtrũ ſequutus D. Bernar. docet: Oportet vt primo ſibi vendicet compaſſionis affectus, alioquin in ſpiritu vehementi conterimus quaſſatum calamum, extinguimus lignum fumigans. Sed cum vterque aderit, videlicet compaſſionis affectus, & zelus iuſtitiæ, neceſſe eſt, vt adſit ſpiritus diſcretionis, ne forte cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, & indiſcretio ipſa confundat vniuerſa. Habeat itaque menſuram ſpiritum diſcretionis, vt miſcens temporibus tempora, oportune æmulari, & nihilo minus ignoſcere ſciat. Samaritanus ſit, cuſtodiens, & obſeruãs, quomodo oleum miſericordiæ, quomodo vinum feruoris exhibeat. Eleganter Petrus Rauennas: Exhibe (ait) te Ioannem inceſtuoſis, Matthiam apoſtatis, fornicantibus Phineem, Eliam idololatris, Petrum mentientibus, blaſphemantibus Paulum, negotiantibus Chriſtum; ſed meminerint præfecti illud Senecæ: Nõ minus turpia ſunt Principi multa ſupplicia, quàm medico multa funera; quin, vt idẽ docet, obiurgationi ſemper aliquid blandi admiſcendum: facilius penetrant verba quæ mollia vadunt, quàm quæ aſpera. Sed ab eo potiſſimum abhorrere curent, quod ſapiens eis grauiſſime præſcribit. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios. Nihil enim eſt, quo facilius cuiuſque magiſtratus, nedum eccleſiaſtici rectũ munus euertatur, quam hac ipſa audiendi facilitate. Mendacij autem, quod ad præſentem tractationem pertinet, duplex eſt genus. Criminatio vnum eſt, aſſentatio alterum. Tam enim grauiter offendit rector Eccleſiaſticus, ſi aſſentatores ſint apud eum

in

in honore, ac pretio, quàm si criminatores apud eumdem faciles habeant aditus. Ab vtroque enim genere raro, aut numquam mēdacium abesse solet. Quid enim assentatio est, quam studium, nimia, & plerumque indebita laude alios delectandi, lucri, vel gratiæ aucupandæ causa? Inest igitur semper mēdacium, etsi non rei, certe modi, ac finis. Criminatio autē callida est, & malitiosa confictorum criminum, aut occultorum in aliquos, quasi per zelum, delatio, causa adducendi eos in inuidiam, atque odium. vel pressius. Malitiosa, & mendax infamatio, id est ex peruerso, deprauatoque animo oblocutio, ac famæ læsio, nulla, aut minima veritatis habita ratione. Quoniam autem non modo res sacra, sed diuina, veritas est, merito eius violatores impij hac sententia decernuntur. Si ergo ij, qui rerum summam tenent, aut prauitate naturæ, aut institutionis vitio, aut improbo vsu, aut electione mala, ita se comparant, vt assentatorum blanditijs facile capiantur, ac perditorum criminationibus delectentur, heu quanta rerum pernicies cōsequitur! Tunc enim sceleſtiſſimi quique, ac malis his artibus imbuti, officij simulatione sese in illorum gratiam latenter insinuant; & vt venatici canes, quam sagacissime fieri potest, odorātur, quibus rebus, is qui præsidet, maxime delectetur: id autem vbi penitus exploratum habent, naturam suam, vultus, verba, ad illius libidinem effingunt, fictis laudibus vt suem scalpunt, callidis obtrectationibus praue affectum animum incitant, ac (vt semel dicam) quia his morbis oppressum eumdem cernunt, vt eisdem studijs, ac vitijs affines sint, vehementer laborant. Ita enim sunt versipelles, vt in quamcumque faciem velint, se facile conuertant. Hac igitur affinitate homines nefarij præsidis gratiam aucupantur; ac tandem eadem vsi calliditate administrandarum rerum auctoritatem consequuntur, ac de cuiusque apud præsidem gratiosi pernicie assidue impijssima consilia ineunt. Verissima igitur sententia est, quod is, qui ex mendacij verbis, certe assentationibus, & criminationibus voluptatem capit, ministros habet impios, profecto veritatis proditores, ac iustitiæ euer-

euersores. Recte Propheta asserit: corripiet me iustus. Ac de altero sapiens Seneca: Difficilem oportet habere aurem ad crimina. Ac tantũ abest, vt libenter eos admittere debeat, vt solitum dicere Domitianum potius audiat: Princeps, qui delatores non castigat, irritat. Nullum igitur esse institutum potest hoc ipso ad rectam administrationem accommodatius. Administros igitur multos sibi adsciscat, vt cuiusque & meritum postulat, & muneris ratio præscribit; assentatores, & obtrectatores odio persequatur, pœnis afficiat. Quocirca Dauid vera cuiusque magistratus forma asserebat: Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Declinate à me maligni. Hæc ad hominum variam rationem; modo de criminibus. Quæ peccantur coram hominibus, & coram omnibus (D. Augustinus ait) coram omnibus corripienda sunt, vt omnes timeant. Qui secreto peccant, eos secreto corripe. Nam si solus nosti, & eos vis coram alijs arguere, non es corrector, sed proditor. Eodem pertinet id D. Gregorij: Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguenda quæ palam nocent. Aliter ergo alia ætas, alia propensio, alia conditio, alij mores tractandi sunt, & cuique hominum generi, criminum diuersitati, temporis, loci dissimilitudini accommodatũ est; ita cura varia adhibenda est. Aegris (inquit) Cassiodorus non vna causa salutis: alter in his reficitur, alter per abstinentiæ beneficia tenuatur; hic lauacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, & varia poscit remedia diuersa qualitas passionum: feroces districtione premendi sunt, mansueti ciuiliter admonendi, dolosi caute, simplices sub leuitate tractandi sunt: & ideo vbique necessaria probatur esse prudentia, quæ rebus omnibus adhiberi debet accommoda. Eo pertinet illud sanctiss. Patris nostri Benedicti: Faciat vt sapiens medicus, si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum, vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & si viderit nihil præualere, industriam suam adhibeat, etiam quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Do-

Psal. 140.

De verbis Domini.

In registro.

Ep. 9.

minus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrẽ. hactenus ille. Id & Tacitus vidit. Ne corporis (ait) quidem morbos veteres, & diu auctos per dura, & aspera coerceas, corruptus simul, & corruptor; æger, & flagrans animus haud leuioribus remedijs restringendus est, quam libidinibus ardescit. Ac tandem, vt semel concludam, omnis & correctio, & animaduersio, & castigatio vacare ira, odio, vacare contumelia debet, atque ad eius, qui punitur, aut verbis castigatur, salutem, ac potissimum ad Christianæ Reip. vtilitatem referre oportet, vt ex canonicis sanctionibus 56. distin. cauetur. Nec aliud.

CAP. VI.

De distributione munerum.



VM varia sint in Ecclesiastica administratione munera, non satis perspectum est, vni, an ne multis eorum sit functio committenda. Nam quo magis est imperium ad vnitatem redactũ, eo & melius est, & diuturnius; ideoque ad vnum omnia esse munera referenda videatur. Ob eam enim causam in multis Christianæ Reip. familijs religiosis vnus tantum aut Guardianus, aut Præpositus, aut Prior (vt loquuntur) constituitur, vnique ipsi imperandi ratio conceditur, ceteris parendi; ita enim putãt omnem seditionum, discordiarumque aditum omnino præcludi. contra Aristoteles ait: Vitiosum est eundem multos magistratus gerere, quod apud Carthaginẽses gloriæ ducitur; vnus enim vnum munus, & officium optime exequitur. Absurdum namque censetur, vt idem tibicen sit, & sutor: à pluribus ergo & melius, & celerius muneris administratio conficitur. Quod in bellicis, nauticisque muneribus perspici licet, in quibus per omnes diffusa est imperandi, parendique ratio. Ecclesiæ autem administratio proxime ad bellicam,

Politic. lib. 2. c. 10

bellicam, nauticamq; rationem accedit. Estote(dicitur Apostolis)fortes in bello. Itemque D. Paulus: Non est nobis colluctatio aduersus carnem,& sanguinem, sed aduersus potestates c. Nulla quoque est eiusdem accommodatior figura, quã nauis. Etenim vt omnis Reip. interitus in munerum perturbatione consistit; ita eius salus in eorum apta distributione continetur. Quo nomine familiæ nostræ institutionis ratio merito commendatur, in qua non modo Præpositurę, ac Decanatus munus sanctissimus legislator ad Abbatis subsidium cõstituit, sed etiam minimas quasque administrationis functiones miro & modo, & ordine distribuit, omnesque ex vnius Abbatis arbitrio pendere sanciuit; in quo & monarchiæ, & optimatum, & populi administrationis præclara admixtio cernitur, quod pluribus ad honores aditus patet; eoque fit vt præclarissime cum illa agatur. Si ergo cuiusque muneris administratio ab vno, eodemque exerceri præscribatur, magna rerum perturbatio,& confusio cõsequatur necesse est: siquidem qui plura onera subit,& oneribus ipse succumbit, aliosq; aptos, atque idoneos cum magna publici boni pernicie repellit. Quamobrem hic sensus explodendus est, iste ad auctorum conciliationem complectendus; vt ad vnum quidem rerum summa referatur, pluribus earũ functio, & administratio demandetur. Hãc rationem Moysi ineundam esse Iethro socer suus hortatus est, dicens: Non rem bonam facis, stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est: vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere, constitue tribunos, cẽturiones, quinquagenarios, & decanos, &c. Atque in hac re longus esse non debeo, quoniam iure ipso pontificio de singulorum munere eorum, qui Episcopis subsidio esse debent, sancitum est; De Archidiacono, de Archipresbytero, de Custode, de Vicarijs, & Generalibus, & Foraneis, ceterisque alijs; ac præsertim quod ipsi lustrare omnia proprijs oculis nequeunt, in singulis parochijs deligunt certos, ac probatos viros, qui inuestigent, an populus vitam cum vera & pietate,& honestate ducat, an aliquid sit, quod ipsorum cogni-

ad Eph. 4

Exod. 18

tionem, & medicinam desideret: an aliquid, quod corrigi, & emendari debeat; quæque compererint, fideliter ad eos deferãt, vt opportune ijs valeãt occurrere. Qui, vt ea, quæ de Decanis sanctiss. noster Patriarcha sapientissime cõstituit, omnibus accõmodet: Tales eligantur, inquit, in quibus securus Ecclesiasticus præses partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinã. Nulla autem ex re & maiorem, & tutiorem sui egregie muneris fungendi rationem constare nouerint, quàm vt conuentus fiant proborum, & eruditorum virorum cuiusque ordinis: regularium quoque in eis exquisita ratio habeatur, accurata deliberatio suscipiatur de singulis, & malis, & bonis, vt de sancta inquisitione, de rudibus Christiana doctrina instruendis, de visitationibus, de ritibus, & cærimonijs, de sodalitatibus, de confessoribus, de promouendis ad ordines, deque ceteris, quæ ad pietatis, honestatisque studium excitandum, amplificandum, tuendumque pertinent. Sacra enim oracula docent: Salus, vbi multa consilia.

in Regula

Prou. 11.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM.



D

Nego-

Q

Quæ-

Auctoritates Aristotelis sunt ex versione Ioachini Perionij.

	Errata	*Emendationes*
Fol 3.	nec	ne
Ibid.	cuiq;	quique
11	præcipiendi tripartitum	præcipiendi & exequendi tripartitum
17	diuulgandi	diuulgandæ
19	Apostolus	Apostolis
21	Christianismum	Christianismus
24	sacerdotes	sacerdotum
23	autem	aut
27	sanctionis	actionis
28	ex	est
29	adhibantur	adhibentur
30	fundatur	funditur
30	suam agentes	suam agentes causam
31	mysterium	mysticum
36	ea quæ	eisque
38	corpora	corporea
44	agricolis	agnicolis
51	quantum	quoniam
54	vigore	vigore.
54	hoc	Hoc
53	de Abbatibus	Abbatibus.
61	sanæ	sanctæ
61	effecit	efficit
61	fulgure	fulgore
64	pareant	pareant.
65	prius	pius.
70	iuxta	iusta
71	aut	autem.
71	imperij	imperio
73	mereatur	mercatur
74	vsura	censura
75	libri.	libro.
77	.quæ requiritur	,quæ requiritur;
77	tam etsi	& tam etsi
92	restituendo	retinendo
56	repugnantis	regnantis
96	iuribus	viribus
103	Hieronymum.	Leonem
150	itaque	Itemque
105	vendicatorem	vindicatorem
150	constituit.	constituite
113	certe	certæ
113	eandem rem sequuntur,	eandem rem omnes sequuntur.
113	publice	publicæ
113	cum sui cuiusq;	cum cuiusq;
115	petrus	Petrus.
116	extollitur	excolitur
119.	eos	eis
123,	astringendam,	adhibendam.
129.	& cuiq;,	& vt cuiq;.


Vitt